VITA GUILLELMI VERHEIDEN BELGÆ:


cui accessit Ejusdem

DE

ORTV ET OCCASV MAXIMORVM IMPERIORVM

ORATIO VENETA,

Edita per IACOBVM FRATREM.



AD

Literarum patriæque libertatis studiosos.



HAGÆ-COMITIS,
Ex officinâ Alberti Henrici.
CIↃ.IↃ.XCVIII.

GERLACVS PYRLINGIVS

IN OBITVM

MAGNIS VIRTVTIBVS EXCELLENTIS ADOLESCENTIS

GUILLELMI VERHEIDEN.

VIRTVTE ATQVE ANIMO VIR, PALLADE MAGNVS VTRAQVE
OCCIDIT ANTE DIEM, MAXIMA SPES PATRIÆ.
INVIDA MORS SVMMIS. RAPIS (ACH) MORS SVMMA: LVTOSIS
QVI CEDVNT RAPIS NON RAPIS. O PATRIA!

LITERARVM ET PATRIAE LIBERTATIS AMATORIBVS

IAC. VERHEIDEN S. P.

DVo ſunt quæ ad tuendam conſeruandamque Humanam Societatem maximé requiruntur; RATIO ſcilicet, & VIS. ubi Ratione, Homini propriâ (quâ & Virtutes & Scientiæ omnes continentur) nihil proficimus; ad alterum, Vim videlicet, quæ quamvis belluarũ eſt, confugiendum. Qui nunc Ratione, quæ Virtute & Litteris munita firmatáque eſt, utitur, juxtaque hanc in bello ſe gerit; profectó optimus ille Rex aut Imperator, qui Humanæ Societatis caput eſt, habebitur. Quod Antiqui doctâ ſuâ & armatâ Pallade ſignificare voluerunt: quæ vnâ manu Librum tenet, quo Rationem Doctrinâ ſtabilitam intelligimus; alterâ parmam fert haſtámque trementem. Hic, cujus Vitam, Docti Patriæque amantes Viri, deſcribimus, cúm illud ſtudium judicaret eſſe præſtantiſſimũ, QVO QVIS PRODESSET QVAMPLVRIMIS; utraque Pallade inſtrui formarique ad Patriæ defenſionem voluit. GVILLELMI fratris Vitam deſcripſit frater, id eſt, feré alter. Nova jam res multis videbitur, Fratrem laudari á fratre. Quid ſi quis fratrem vivum? immo vivus ſeipſum laudarit? Huic tamen eſſent juſtæ excuſationes. Propinquũ quiſque ſuum vt lugeat jam defunctum & laudet, non nóvum, ſed antiquum & Romanum eſt. Quám multa ſané hodie commendantur, in primis apud

Europæos, quæ antiqui illi Romani Censores, quibus Respublica stabat, primâ notâ digna esse judicarent! Cúm itaque alii magno apparatu suos lugeant; Insignia doloris in defunctorum honorem ambitiosè interdum & magno sumtu ostentent, eorumdemque mores & vitam tum etiã genus, quod alienum est ornent & prædicent; dent etiam mihi vt eum lugeam, modestè, vel etiam verè laudem, qui aliis multis visus est præstantior. Præterea excusavi etiam hunc, & notavi. Demum, sit aliqua laus illi qui in Vita minimè se laudavit. nam is hic fuit qui nihil sibi arrogabat, nec derogabat: Animi Magnitudine rectaque Conscientiâ contentus, rumores illos non curabat. Litterarum, Virtutis & Patriæ studiosis partim hæc voluptatem, partim dolorem, mortuo verò GUILLELMO fauorem pariet. In adolescentia exstinctus est is, Qui curam animumque virilem gerebat: Qui quid Litteræ, Virtus, Patria, Libertas & HISPANUS esset, intelligebat: Qui sæpius hunc pulcerrimum Poëtæ versum usurpans,

Εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

tum in Hispanum,

UNA *salus victis*, NULLAM SPERARE SALUTEM. tandem forti animo pugnans PRO PATRIA occubuit. Laudatus igitur Ille jure videtur, & more Romano, qui mores & studia Romanorum nouit sequique contendit. NOVIOMAGI GELDRORUM. KAL. VIII^{br}. CIↃ. IↃ.XCVI.

IACOBI

IACOBI BASELII IUNIORIS

ΣΧΕΔΙΑΣΜΑ

IN OBITUM

DOCTISS. ELOQUENTISS. CLARISSIMIQ.

GUILLELMI VERHEIDEN GRAVII

PRO PATRIA

CÆSI.

FLOS juvenum, Phœbi, Phœbiq; amor ille Sororum,
Itala quem tellus, quem lata Alamania, quémque
Obstupuit toto divisa Britannia mundo,
Belgicáque ante omnes totiens mirata tonantem est;
Magno animo vulgare nihil, sed magna volutans;
Pro Patriâ qui se devovit, & arma capessens,
Cum doctis voluit Martem conjungere Musis;
Cœca per obscuram miscet dum prælia noctem,
Primus & Hispano intrepidè volat obvius hosti,
Quá malè vicino Gandavo jungitur Hulstum,
Deseritur (scelus ô) sociis fugientibus, & tot
Obiiciturmiserè mactandus ab hostibus vnus.
Magnanimè cadit ille, & vitam in pulvere ponit.
At VIRTUS *lacerata comas, lacerata genásque,*
Floribus è variis textam quam fortè coronam
Gestabat, terræ indignans allisit, & omnem
Implevit clamore locum, infelicis alumni
Nequicquam incusans fata immatura, necísque
Autorem sceleratum. Et, si tibi longior, inquit,
Condignis tibi pro meritis si vita fuisset,
Hac fueras mihi tu, fueras (digitóque coronam
Monstrabat, lachrymis justum testata dolorem)

Hac mihi donandus. Manibus namque ipsa pararam
Hanc tibi, Ego ipsa meis manibus; quò præmia tandem
Digna triumphales premerent tua tempora lauri.
Quod tibi non licuit vivo, cape mortuus ergò
Munera Virtutis meritò tua funera flentis.
Me fidè teneris coluisti semper ab annis,
Et fidè teneris hæsi tibi semper ab annis.
Hæc ait inclinans se, sublatáque coronâ
Implicuit caput, atque vlnis complexa jacentem,
Triste Vale ingeminans magnis ploratibus, inter
Hostiles acies, & tympana rauca, tubásque,
Et gladios, sclopósque, atque æra imitantia bombis
Horrisonis fracti displosa tonitrua cæli,
Sanguineâ cæsi quam dextrâ avulserat harpe
Ipsa suo tumulum fecit, quem cernis, alumno.

I. VENAT. αὐξιδιανὶ F.

Dum certas Armis Studiísque ad vtrumque paratus
Ingenii præstans nobilioris opus;
A Patria Hispanos abigens, & ab arte Sophistas:
Illos mucrone, hos dexteritate styli.
Te VERHEIDE *suum Mavors, te dicit Apollo*
Esse suum, causâ pugnat uterque gravi.
Sed quando acris adhuc dubio sub iudice lis est,
Te qui cuncta rapit, Mars rapit & retinet.
Nomine dulce mori Patriæ, tibi symbolon: illud
Sæpius optatum nunc & habere datum est.

PETRVS

PETRVS VASTIVS IN OBITVM DOCTISS. FORTISSIMIQ. GVIL. VERHEIDEN.

Patria te luget, Libertas, utraque Pallas,
Te Charites lugent qui dare dona solis:
Fata alii lugent: Virtutem prædicat hostis.
Hoc quis nunc gaudet funere? solus iners.

IDEM Caussam Mortis quærenti.

Mortis caussa duplex: prima est, Diuina voluntas:
Altera, quid multis? NON VOLVIT FVGERE.

VERSVS

VERSUS A GUILLELMO SÆPISSIME RECITATI, QUIBUS MORES STUDIAQUE populi Romani extollit.

VIRGILIUS.

EXCUDENT *alii spirantia molliùs æra:*
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus,
Orabunt caussas meliùs, cælique meatus
Describent radio, & surgentia sidera dicent.
TU *regere imperio populos* ROMANE *memento.*
(Hæ tibi erunt artes) Pacisque imponere morem,
PARCERE *Subjectis, & debellare Superbos.*

GUILLELMI VERHEIDEN VITA,

ſcripta

Per IACOBUM *fratrem.*



UILLELMUS VERHEIDEN BELGA, MAGNA vi animi & corporis adoleſcens, Graviæ, quod oppidum in Brabantiæ finibus ad fluvium Moſam ſitum eſt, ſecundo Albanæ Tyrãnidis anno, naſcitur. quod & ipſe, certâ de cauſſâ, teſtatur in Præfatione Orationis ad REGINAM, rationes juſti odii ſui in Hiſpanos jã exponens, hoc modo: *Is deinde Belga, qui tum primùm in hanc ſum lucem ingreſſus, cùm Albani furor in Patriam crudeliſſimè ſæviret ex quo, ſi placet, intelligant* (ignavos calumniatores putans) *Odium crudele Tyranni animo meo à teneris iam tum unguiculis eſſe impreſſum.* Parentibus ortus eſt honeſtis; qui nihil ita in votis habebant, quàm ut ingenuè honeſtèque filii educarentur; in primis verò diſciplinis Liberalibus inſtituerentur. non quod pater ipſas Litterarum vires per ſe intelligeret; ſed amore & honore excitatus eſſet eorum qui eaſdem amplexi fuiſſent, nomen & decúſq. aliquod comparaſſent. Quas Litteras cùm omnes ament qui egregiè à natura ſunt compoſiti, tum ii præcipuè, qui in familia aut genere ſuo præſtantes quoſdam florentéſque ſtudiis Litterarum viros intuentur; quorũ imagine & ſplendore vehementiùs ipſorum animi ad virtutẽ eruditionémq. accenduntur. Quod & hîc parentibus contigit. nam matri fratres fuere duo, qui litteris, tum, quæ ex his proveniunt, nomine & dignitate inſignes exſtiterunt.

 vni

uni nomen Antonius Gogava, alteri Igramus erat. Ille in Mathematicis disciplinis apprime eruditus, quas & Lovanii peradolescens admiratione multorum est professus: qui & CL. Ptolemæi libros IV de Iudiciis ad Syrum (quorum sané translatio difficilis habetur) in Latinum sermonem traduxit: idque præstitit felicissimé, judicio etiã Clarissimi Mathematici Gemmæ Frisii, Adriani Hegii, tum Caroli illius Langii, optimi doctissimique, ut ajunt, Belgarum. Has laboris sui primitias obtulit consecrauitque Generosissimo Clarissimoque Principi Maximiliano Comiti Burensi; cui tam propter patriam Graviam quàm eruditionem fuit gratissimus. Deinde Patavii in re Medica Laureã consecutus, in Italia annos complures apud Vespasianum Gonzagam, Mantuæ Principem, magna cum gloria vixit. Quo tempore authores antiquos é Bibliothecis erutos Latiné loqui curavit, inque lucé edidit: quorũ & ordo in Bibliotheca Tigurina anno LXXXIII. impressa sic legitur: ANTONIVS HERMANNVS GOGAVA, GRAVIENSIS, E GRÆCO *hos authores in Latinum sermonem vertit;*

Ptolemæi Astronomica, Ejusdem Harmonicorum lib. III.
Theonis Smyrnæi de Mathematicis rebus à Platone usurpatis lib. II.
Aristoxeni de Musica lib. III.
Sereni Cylindrica lib. II.
Nicomachi Garazeni Musicam.
Proclum in Alcibiadem Platonis primum, & in Parmenidem.
Ioannis Curopalatæ historiam de Vitis XX. *Impp. Rom à morte Nicephori.*

Postea hic ductu & voluntate ejusdẽ Principis, Mãdritii in Hispania versatus est, ibique usus consuetudine virorũ præstan-

præstantium, in primis Ioachimi Hopperi, Regii in rebus Belgicis Consiliarii: cui etiam res suas paullo ante obitum commisit. Obiit itaque Madritii, Anno M. D. LXIX. ætatis veró suæ, ni fallor, XXXX. Mortis caussa alia atque alia exponitur. Porró ingens quoddam & laboriosum opus condiderat: quod cum prelo mandandum esset, subreptũ ab Hispanis creditur. Nec hoc novum apud illá gentem. nã Hispanus, ut ambitiosum & invidiosum animal, si quid recté gestum fuerit, omnem ad se gloriã traducit, sibique, quod alienum est, vendicat. Argumentum operis fuit, quantúm conjectura augurari possum, de Diversitate Ingeniorum. Hujus Operis jacturam Sigilli Regii Custos Hopperus his verbis, in quadam epistola indicat: *Omnium maximé mihi dolet, & nondũ satis pacato adversus Vespasiani Gonzagæ familiam ea caussa sum animo, quód optimas divitias D. Antonii, & in omne ævum duraturas; quas eadem fide qua cæteras ad me miserat, arte abstulerunt. Nam vix quinque horis, antequam animam redderet, uti forté Oeconomus meus officii caussa ad illũ venerat, tantũ apud eum odio & importunitate efficiebant, ut de scriptis sibi reddendis ad me mitteret, quod, suspicans quid ageretur, longé gravissimũ mihi erat, nec sané fecissem, nisi meus quem dico Oeconomus testatum mihi fecisset, eam ipsius fuisse voluntatem. Scripta ipsa quænam erant, proximis litteris cúm plusculum erit otii significabo.* Alter frater qui minor natu fuerat, jã paullo anté Viennæ Austriacorum anno ætatis, ut puto, XXXIIII. é vita excesserat: qui cura & consilio fratris institutus, Bononiæ V. I. Doctor creatus fuit; deinde Mechliniæ, quod summum Belgii Forum est, caussarũ egit patronum: donec excellẽtis & magnanimæ feminæ Principis d'Espinoy litteris & promissis excitus, se ejus filiis duobus, in Austriam tendẽ-

tibus, sive ducem sive comitem addixisset. horum filiorũ alter, Princeps d'Espinoy, superiori tẽpore pręfectus Tornaci fuit, Libertatémque Patriæ contra Hispanos defendit: Alter, Comitis Stabuli titulo ornatus, arma Hispanorum secutus; in Antverpiana Obsidione, pulvere tormentario, sive in aërem abreptus, sive in terrá afflictus, occidit. Satis hactenus multa. Sed ad rem. Avunculis his duobus præmatura morte ereptis, ademta etiam videbatur parentibus spes liberalis filiorum institutionis. Huic insuper dolori longé alius dolor accedebat; publica scilicet Patriæ calamitas: qua diuina humanaque omnia ab Albano illo, mõstro ex Mauro & Hispano conflato, miscebantur. Hoc luctu publico doloréque vario conceptus progressusq. in hanc est lucem GUILLELMUS VERHEIDEN: cujus varii labores, alia atque alia fata, brevi eo, quo vixit, tẽpore, fuere. ubi enim primúm in lucẽ editus, matérq. partus contorsione & molestiis concussa jaceret; uterque inclementiã barbarósq. externorũ militũ mores est expertus. Locus siquidẽ dandus erat hostibus illis hospitibus: eáque feré perferenda, quæ victores insolentes victis imponere solent. unde horror & trepidatio quædã corporis puerulo accessit, quæ anno ætatis XV. vix eumdem reliquerat. hinc jure testatus est, odium etiã Tyrannidis Hispanæ á teneris unguiculis animo suo esse impressum. Verúm post paucos dies illi ipsi præsidiarii, qui magna ex parte nominis Italici erant equites, parentes domúmque, nova sané mutatione observabant, beneficiáq. in eosdem serenâ jã fronte conferebant. Cujus rei hæc caussa fuerat. Huic Equitatui Itali nonnulli nobiles immisti erant, qui in Aula Ducis Mantuani vixerant; Antoniúmque illum, matris fratrẽ, tum hujus oppidi,

oppidi, cujus custodes erant, civem esse noverant. Cúm hi matrem in vivis esse accepissent, illico accurrunt; matrem patrémque salutantes, nullũ non officii genus promittunt: puerulum jam recens natum inque cunis vagientẽ amplexantur. Pater humanissimé jam excipitur. Præfecti studia erga patrẽ jam innotescunt: adeo, ut cives, qui importunitate & insolentia militum discruciabantur, domum nostrã tamquã miserorum receptaculum frequentarent, quo levamẽ solatiúmque aliquod intercessione paterna eis contingeret. Sed pater hilari forté vultu inter peregrinos illos versans, corde dolorẽ premebat. Tyranni quippe Hispani administros hos omnes esse noverat. Primæ nunc infantiæ tempore vix ulla in puero alacritas, sed tremor multus & gemitus: serius progredi, tum etiam loqui inceperat. quo non dubia signa dare visus est excellentis, constantis, magnáque aliquando moturi animi, si modo Physiognomicis sit credendum. Difficiles & ortus tardáque incrementa habet quod eximium fore putamus. Cum jam vix sexennis esset, in morbum gravissimum incidit, circa illud quidem tempus, quo in conspectu patriæ nostræ fortissimus imperator Ludovicus Nassavius in Movicensi ericeto fusus desideratúsque fuit. Quo in loco cúm intellexisset adverso Marte á nostris esse pugnatum, graviter animo commotus fuit; brachiáque languida in medio licet morbo jactans, nescio quæ verba, dentibus infrendens, in Hispanum crepabat. Nunc hoc, quod illi innatum videbatur, odium, etiã ante illud tempus sæpe balbutiens, prodebat: quod filioli odium, cúm apud suos esset, non sine voluptate referebat pater. Nimia illa animi ex sinistra pugna perturbatio, valetudinis secundæ ut huic initium, sic patri adversæ fuit;

qui eodem, quo Clades illa edita est, mense vitã cum morte commutavit, matrẽ liberósq. tres superstites relinquens. Instat nihilominus mater, propositæ filiorum institutioni incumbens; quó spem, quæ jam jacuisset, magis magísq. excitaret; nihil omittens quod se filiisque dignum arbitrabatur. hæc, tot jam annis marito orbata, variã experta fortunam, hodiéque nostrã sequens, longé illam beatissimam spẽ in Dei Filio repositam exspectat. Paucos post menses cúm Pater vita defunctus esset, hic cum pueris nonnullis vagans locum ingressus est, in quo solenne quoddã Symposium fratrum, ut vulgo, Iacobæorum institutum fuerat: In hoc ille (cum patris jam nonnulli mentionẽ facerent) virtutẽ patris prædicabat, tum magnum quendã animum ostentare videbatur: quibus moti aliqui patris amicitiæ studiosi vix á lacrymis abstinuere. Scholam frequentans, elementáq. prima litterarum discens, felicius quám ceteri ea perceperat: adeo vt nunquã lectionis caussa verbis verberibúsque impetitus fuerit: sed sæpius aliis de caussis delatus, malevolentiâ quorumdã ignavorum (quos in genere per omnẽ vitam vehementer odit) pœnas dedit. ita ut animũ á Schola prorsus alienum, propter importunas puerorum accusatiunculas, habuerit. Et jã attingebat annum ætatis x. circa quod tempus pueri maximé sancté educandi sunt; multó magis illo in loco, quo antiqui mores patriáq. disciplina, militum licentiâ, infringebãtur. Mater tristior filii querela pertinacíq; in Musas odio, quod nec ego nec quisquam alius evellere poterat, quid hic tentandũ esset, deliberat. Ille interea permotus improbâ puerorum, quibus cum ludebat, petitione, animũ sedentariæ & illiberali arti adjecerat, certámq. spẽ tractandi acum conceperat Nec

destitit;

destitit; donec tandē intercedentibus amicis, á nobis eâ in re difficilibus, hoc ipsum obtinuisset: eo tamē consilio, ut ætate firmiori, alias vel artes, vel ipsas iterum litteras amplecteretur. Liberatus nunc jugo Scholastico, felix admodum sibi visus est, quód, sceptro fascibúsq; Ludimagistri excussis, humilis & decussatim sedentis Sartoris imperii insignia, ulnā scilicet (cui errantis patet dorsum) agnosceret. Quod expetiit, aggressus est: verúm minimé legibus, vt alii qui se illi arti mancipârunt, obstrictus; ut qui aliā tandē vitæ rationē secuturus esset. Porró illo tempore, inter ejus ætatis pueros, excellebat: lusu, cursu, lucta primus erat: Si qua inter æquales contentio, ille arbiter eligebatur: Si quis injusté agens, eumdē ille aut verbis aut verberibus reprimebat: Siquis peregrinus puer vel etiam adolescentulús ex vicinis oppidis accessisset, sibiq; sumēs aliquid, cristas cōtra oppidanos socios erexisset, inq; eosdē peccasset, ille advocabatur ut cum novo homine decertaret, insolentiámque obtunderet. quo more militibus pergratus fuit: qui eumdē observantes apud suos prędicabant. ceterúm matri, ut naturâ minimé pravus, obsequens fuit filius: quæ jā hoc agebat, ut filium Gallicæ linguæ percipiendæ causâ ad peregrinos ablegaret, quo postea ratione commodiori mercaturæ committeretur: Verúm cúm ægré á matre divelleretur; casus incidit, qui matrem, ut sententiam de filio suam omnino exsequeretur, impulit: nam cúm in aquas descendens natationi operā daret, adscitis ad hoc certis sociis, qui legibus inter natantes latis sese obstrinxerant; inter ceteras hęc lex stupenda sané pręfixa fuit: NEMO inter natandum periclitans auxiliū implorato: secus qui faxit, Societate exclusus esto. Alii tamē alios observanto: hi sponte, non vocati

çati laborantibus periclitantibúsq. subveniunto. Rationes legis hæ fuerant: Ne scilicet implorans misero clamore auxilium, ignominiam sibi pareret: Deinde, ne præsenti periculo admoniti parentes, quíque filios suos, cœruleos istos fraterculos domi continerent. Accidit demum ut hic natans, fluvii vortices non notans, abreptus fuerit sub naves onerarias, á Leodinis Trajectinísque nomen habentes. hic clamor passim á spectantibus attollitur, Guilelmum Verheidẽ fluminis vortice esse absorptum. interea (Deo ita volente, adque alia ipsum reservante) hic aquis, navibus oppressus, cum jam antea de salute desperasset, animum sumit, extremum experitur laborẽ: advocat omnia arma: manum forté cúm extenderet, nauta prosilit, qui dextré manum corripuit. corporis viribus fractus jam já morituro similis erat. Aliás mihi hoc exemplo exposuit; Se sensisse, Quantúm in extremis periculis bonus valeret animus. Mater nunc minimé moræ patiens; Leidas ipsum anno ætatis XV. ad me adduxit; vitam casúsque fratris omnes retulit. Hic videns aliis se legibus subjiciendũ, locum, quẽ accesserat, carcerẽ interpretabatur: ad vocem nominis Latinitatis exhorruit: hanc detestás nulla ratione allici potuit ad liberalem illam linguam: Gallicam ut addisceret linguam se Leidas venisse est proloquutus. Ego illi proponebam, Recté percipi non posse linguam Gallicam sine aliqua Latini sermonis cognitione: hoc agens, ut sensim æquiùs de Latinis bonarúmque artium Scholis judicaret. Prima nocte apud me dormiens, animum suum, Latinitati omni infensum, somnio prodebat: inclamabat & somnians verbera carnificinámque Latinarum Scholarum: ita ut veré dicere hic liceat; Latini sermonis inimicum hoc ipso gravio-

graviorem, eodémque contrá annos xx. nato puriorem ejusdem sermonis cultorem, eo tempore inter multos fuisse neminem. Comparati jam fuerunt Gallici Latinísque libelli, persuasúmque ut Gallica Latinis misceret. Egi cum Scholæ Rectore cui hic Guillelmus creditur: sententiam rationémque de fratris studiis aperui. Scholam Leidensem privatam intrat, annum jam excedens xv. A discipulis superiorum Classium hic socius (cujus corpus supra ætatem excreverat) exspectatur. Hic licet re infimæ Classis discipulus fuisset; tamen Rectoris jussu, hoc modo pudori ejus consulentis, inter pueros penultimæ Classis habetur. Hic legere, declinare, verbáque flectere pueritia discebat. Tertiâ, ni fallor, lectione, feliciús quám ceteri injuncta reddidit: hinc laudatus á preceptore ad me accurrit; quem prima fronte male affectū esse in Scholasticos verebar. Cúm interrogarem, Quomodo arrideret Schola? respondit, Bene: rectiús quám alii lectionem tenui; eoque nomine á præceptore laudatus. Hac responsione non mediocriter fui letatus. Posterâ die, feriis præstitutâ, iterúm ad me venit: quâ in campos prodeambulantes de Schola loquebamur: nominū verborúmque vulgares flexiones inter ambulandum á me percipiens hic observabat. Quid contigit? Tantum profecit, ut non singulis annis aut semestribus, sed singulis feré mensibus dignus superioribus classibus judicatus fuerit, bienniique spatio non solúm ab infima Classe ad supremam, sed etiam primus Scholæ evaserit; tertióque anno nōdum elapso, in eâdem Schola, voluntate & loco Rectoris, in Dialectica Grecáque lingua lectiones habuerit. Progressus in studiis fuit hujusmodi. Cúm ejus esset ætatis, qua cum judicio perciperet ea quæ proponebantur,

bantur, præceptáque memoriæ mandaret; ita insuper diligens fuit, ut lectiones quæ ex ordine recitandæ essent, non solúm tenuerit, sed etiam præceptorem præcurrens, integros libros & legerit memoriæque impresserit: quâ ratione omnia, quæ longé post discenda essent, præcognoverat. Si quæ Compendia Authorum in gratiam Iuventutis in Schola traderentur; hic iisdem non contentus, genuinos primúmque editos Authores legebat, relegénsque retinebat. Cum fortè ex præscripto magistri Epitome Elegantiarum Adriani Cardinalis puerorũ manibus tereretur; hic Adrianum ipsum totum (qui sané majori judicio, quám ceteri, de Sermone Latino scripsit) devorauit. Cúm Phrases excipiendæ; hic Epistolarũ libros Ciceronis, in primis ad Atticum, perlegebat; quæque legisset, ad vsum transferebat: illas ad Atticum Epistolas ita observarat, ut illo ipso biennio, nõ solúm in componẽdo, scribendo, verúm etiã in loquendo, easdem verborum structureq. formulas expresserit. Æmulatio quæ primo anno inter discipulos fuerat, in invidiam versa est: verúm ipsa invidia (quæ inter pares, inferiores paullo aut superiores grassatur) brevi superata fuit. Omnes præterea huius candore integritateq. victi, inuidiam in amorem verterant, palmam ei in literis aperté concedentes. Primis mensibus, quibus ea, quæ ad Latini Sermonis Constructionem pertinent, perciperet, & Ciceronis Virgiliique authoritatis sæpiús fieret mentio, nominis vtriusque admodum fuit studiosus; adeo, vt Ciceronem & Virgilium (licet horum scripta ignoraret) in ore semper haberet: Sequentibus mensibus accipiens á præceptore, Ciceronem primum esse Latini sermonis authorem, sic & Virgilium poëtam principẽ haberi; ita ejus animus utriusque

que desiderio & lectione accensus fuit, ut priús absistere noluerit, quin teneret & imitaretur id quod uterque scripsisset. Iam etiam videns Ciceronem in Epistolis Orationibúsque quibusdam præclarum esse, Reipubl. Libertatis defensorem; animus lectione Ciceronis vehementissimé fuit inflammatus. nam ita puer naturâ formatus, vitâ quotidianóque sermone doctus fuerat, vt PVGNARE PRO PATRIÆ LIBERTATE, summam gloriam esse duceret, eósque qui pro illa cecidissent, tum hodie tutarentur, summis laudibus in omni colloquio ornaret. Sic & Virgilium attenté audierat, studiosé legerat. puritate Terentii capiebatur, Æsopi Fabulis mirificé, etiam omni vita, delectabatur: Præcepta Dialectices jam intelligens, ad vsum accommodabat: Isocratis Demosthenísq. orationes quasdam cum fructu etiã perceperat. Et nunc transactum biennium. Ad patriam Graviam, ego magis hęrendi, ille redeundi animo, contendimus. Nostrorum bonorúmque gratulatione salvi in patriam pervenimus. Noviomagum, quæ Geldriæ urbs prima, nimiúmque vicina miseræ patriæ, ad hostem jam Hispanum, seditiosorum, corruptiorúmque juvenum audaciâ, tum imperitantium imperitiâ, defecerat: quæ urbs in patriæ muros excitaverat propugnaculum; ita ut omnia ad bellum concertationémque spectarent: Hic insitus animus comprimi non poterat: milites compellabat, arma velitationésque eorum quotidie lustrabat. Eo ipso tempore Alexander Farnesius Antverpiam obsidione premebat: de qua ita loquebatur: Si Hispanus imperio suo Antverpiã subjecerit, mihi persuadeo, eumdem hostẽ Graviam hanc tentaturum esse & oppugnaturum: hoc si jam contingeret, scilicet si Antverpia hosti se submitteret, me ex patria

nullius verba extruderent, nullæque etiam Leidenses Musæ revocarent. His moti, omni diligentia ipsius in Hollandiam reditum adornavimus. Præscribo ipsi certam formulam in Iure Civili studendi: sic & alia impono. Temporis rationem ut habeat adhortor; memórque sit mutationis rerum humanarum: Fortunæ vires nunquam magis quám in bello ostendi: Quod facilé fortunæ résque nostræ everti possunt: demum, Spem omnem in bonis animi esse ponendam. Patriâ tandem excessit: Bommeliam VI. milliaria Graviâ distantem pervenit. Sub vesperum á vicinis Dusilyiis tormenta ahenea explosa, quorum fragores bombíq. Bommeliis Antverpiæ captæ indicium fuére. Ille hic discessum é patria suum deplorare, amentiam exsecrari, animo fluctuare. Verúm Lugdunum Batavorum reversus est, animū gerens Marti magis quám Musis addictum. Scripserat ad me mense, post reversionē, primo, petens ut sibi Philosophiæ studium adhuc sequi liceret. Concessi. Iam subactâ Antverpiâ, nihil ita quám patriæ obsidionē metueramus. Hostem, ut oppidū caperet, non solúm loci opportunitas, sed etiam proximorum Noviomagensium & Silvæducensium preces, fidem suam erga Regem Hispanum magnificé jactantium, inducebant. Obsessa patria est: machinæ tormentáq. admoventur, mœnia pulsantur. sequenti die, non solúm præter Fœderatorum Libertatem Patriæ tuentium, sed etiam ipsius hostis exspectationem, Præfecti, Ducúmque in primis ignávia (explosis aliis, ut plerumque his in rebus, frivolis ratiunculis) traditur oppidū. Apud hostes jam lætitia; apud nostros tristitia ingens erat: neque sine ratione, si recté tum temporis rerum statum intúeri velimus. Cúm jam hosti patria dedita esset,

 Leidas.

Leidas perveni. Ille me ut valentem salutat: ut patriam ita relinquentem objurgat: suam illam absentiam deplorat, tamquam is fuisset, qui rem tam nefandam minime admisisset. Natus jam erat feré annos XVIII. Hic ratione & exemplis instabat: Græcos, Romanósq. producebat: Gregarii etiam unius militis operâ oppidum servari potuisse, non sine exemplo docebat. Et sané hoc ejus judicium, licet temerarium & puerile vulgó videatur, non prorsus á rei veritate alienum est. Nam hoc statuendum; Innumeros esse & duces & milites, qui, cúm hostium vis longé abest, addo etiam, cúm imminet, aperté proclamant, Morte locũ libertatémque esse aut defendendum, aut honesté vivendum. Quisque optimus tum haberi vult bellator, qui verbis maximé strenuus est: ubi veró manus cum hoste conserendæ, mors jam jam oppetenda; timor invadit plurimos, eos præcipué quos voluptas cepit, tum Martẽ Mortémque antea in linguâ habuerunt: quos homines verbosos, nescio an naturâ, semper ignavos fuisse compertum est. Provida sané Natura, quæ ut nihil frustra faciens, hoc, quod linguæ tribuit, animo ademisse videtur. Verùm cùm jam ipsa mortis imago occurrerit, horrórq; mortis plurimorum tam militum quam ducum animos occupaverit; conventus plerumque habetur sive paucorum sive multorum, in quo quid expediat, deliberandum venit. Quid hoc in conventu quæritur? Præfectus sive imperator, vir bonus, interrogat vel singulos vel omnes, inquiens, Quid consilii? Altum hic, ut plurimùm, silentium: Alter alterum aspicit, verba nutúsque observans: Vox submissane an elata, an color alius, an vultus mutatus, an aliqua corporis sit trepidatio, animadvertit. nemo subito hic, nisi

magnanimus loquitur primus. Quare? quia ignavi & effeminati hæc duo respiciunt: Primúm, quod ignorent, utrum præfectus tantum hæc proponat, animos suorum explorandi caussa, an veré: Deinde licet gestu significque animum prodere videantur, non tamen apertâ audent sententiâ declarare; ne summæ levitatis & ignaviæ arguerentur ii, qui ante pugnas, tormenta minásque tam strenué linguâ bellassent. Periculosa admodum res hîc est silentium: periculosa est etiam hîc licet bene sentientis pro Patria submissa modestáque vox. Hoc igitur statu quo quisque silet, alter alterius tacitos affectus, alium in aliis esse colorem ab illo quem quis ostentabat inter pocula mortem contemnens, observat. Quid agendum? Hoc vtendum remedio est: Vt statim, ne tandem animi sententiam verbis ignavi exprimant, fortis magnanimúsque vir sese efferat; omnémque salutem aut in vita aut in morte ponat honesta. hac ratione ignavi, omnes vnius hujus pro Patria sententiam sequi cogentur. Sed si ignavi, quorum semper maximus est numerus, prius suam dixerint sententiam; ea ipsa ignavorum animos celeriús occupabit, quám flamma stipulas aut pulverem, ut ita dicam, tormentarium absumpserit. seró tum magnanimus progreditur: qui alioqui in illo silentio, in illa animorum hæsitatione & demissione, ignavorum spem facillimé evertit, patriámque conservat, sive is dux sit, sive miles, modó accessus detur, gregarius. Verúm ubi prudens & magni animi dux aut Imperator est, nihil horum instituendum est; multó minus metuendum: sub hoc tam ignavi, quám fortes cum hoste certant. Illo incolumi, ducum militúmqne omnium una mens erit, om-

omniáque salva. Longior hic fui; verùm partim dolore, partim ratione provocatus Forté ipso tempore, quo de deditione Patriæ agebatur, gravi morbo Guilielmus laborans decumbebat, deque vita periclitabatur. somnio quodam mentis suæ cogitationes reddere visus est. quod fuit, ut mihi narravit, hujusmodi: Cùm jam in eo patria esset statu, quo, animi omnium ad deditiónem propendérent; ageretúrque de mittendis legatis vel emissariis ad Principē Parmensem, oppidi relinquendi caussâ, sub certa lege & conditione; me, inquit, obtuli; cum Parmensi me acturum pro salute patriæ promisi. Erant & mihi alii adjuncti: Ego nomine omnium certa lege coram Principe verba feceram: Hic non ita verbis meis respondens, munere me aliquo ornare studebat: cui ego liberé; Quos non armis & ferro, eosdem nunc auro capere contendis; Princeps in his, quæ proponebantur á nobis, jam facilior videbatur: Revertens cum sociis in oppidum, hos in via docui, Patriam nullâ lege esse deserendam; petiique ab his ut me solū rem apud Parmensem gestam oppidanis exponere sinant. Portis jam appropinquans interrogatus, Quæ spes? nulla, respondi: Falsa hæc erat responsio: nam Parmensis omnia concessisset. Ego me mox ad valla, oppugnationis locum militésque defensores proripui; spem nullam esse dixi; ad arma, milites, conclamavi; tormentum in hostē primus explosi. Omnia jam fragore, clamore, armorumque strepitu miscebantur. Ego interea tumultuario illo somno solutus sum: & eo ex tempore morbus factus est remissior. Hæc hactenus ille. Hoc iccirco retuli somnium, ut inde animus ad rem militarem proclivis constaret, & quo ignavia dedecúsque longiús abesset. Quæ enim

homo

homo diurno tempore agit animóque volvit; ea plerumque nocturno somnians reddere creditur. Sed ad ea unde digressus sum. Cùm hujus jam ardens in Patriam studium, vocem verbáque gravia, res serias, illam Latinitatem animadverterẽ; admonui, novo fiat unum verbũ exemplo, ut Orationẽ de laudibus PRINCIPIS AURIACI componeret. quod fecit. nam III. Non. Aug. quæ jam instabant, dicenda erat oratio: qui dies anniversarius, quo Princeps ille veré PATER PATRIÆ appellatus, sollenni & illustri funebri pompa ante bienniũ elatus tumulatúsque fuerat. Composita Oratio est; mandata nullo labore memoriæ: venia publicé dicendi jam á Rectore Academico impetranda. Interrogatus hic fuit, quibus in locis, qua in Academia studuisset? respondit, Ex Schola se elementaria sive privata prodire: plus se labori animóque suo tribuere, quám locorum, in quibus quis vixisset, claritati. Dicendi venia impetrata, publicé indicium factum; Guillelmum Verheiden anniversariam Orationem habiturum in Obitum Principis Auriaci. Prælonga pro ratione temporis hæc fuit Oratio: præsenti hæc animo fortibusq; dicta lateribus. Prima hęc Orationũ fuit, quas publicé habuit plurimas. Auditores, ut varii generis, sic & varia judicia tulerunt. existimabant nonnulli ab alio profectã orationẽ, & huic esse subministratam: prudentiores non ita judicabant; postquã animus actióque dicentis cum ipsis verbis convenirot. alii aliter. brevibus, prædicata fuit Oratio. Aliud jam in limine erat festum, per Bataviam clarissimũ, quod fortissimorum Leidensium proprium est; quodque v. Non. Octob. observatur: quo die, ante annos XXII. á gravissima & extrema Obsidione Urbis hostium Hispanorum liberati fuere Leidenses.

denſes. Feſtus ille dies imminebat: copia facta dicendi. Orationem itaque habuit in Obſidionem & Triumphum Leidenſium, in frequenti tam virorum præſtantiũ quám ſtudioſorum concione. Trium horarum ſpatium exceſſerat Oratio: duæ horæ matutinæ, parti quæ de Obſidione, pomeridianum tempus Liberationi Triumphoque præfixum fuerat. Oratio matutina ita placuit auditoribus, ut iidem magnâ frequentiâ poſt meridiem, non habitâ publicæ lætitiæ ratione, iterum adventaverint. Laudata á præſtantibus viris Oratio: animus, dicendi vis, vox, memoria, actio commendata: eximium de novi adoleſcentis ſtudiis latum eſt judicium. Erant in hac Oratione artificia plurima, affectus varii, qui miſeros, exhauſtos, & jam præ inedia quaſi exanimes, animámque efflantes cives exprimebant. hic & ad vivum perſona referebatur Conſulis illius fortiſſimi, urbis conſeruatoris, ſuos in extremis periculis, inuſitato more & exemplo, ad fidẽ conſtantiamq. omnẽ inducentis & exhortantis. Cúm Orationem hanc diceret, aderat & Hugo Donellus Iuriſconſultus præſtantiſſimus, animorũ explorator acerrimus, tum graviſſimus morum cenſor, qui hunc paulló poſt tempus habitæ orationis ad ſe vocari juſſit: venientẽ lætus excepit; exhortatúſq. eſt, ut in illa via perſiſteret; fore ut illo ſuo ſtudio & animo res magnas ſibi patriæq. ſalutares aliquando gereret. quod idẽ mihi poſtea confirmavit vir celeberrimus, petiitque á me ut fratrem illo in ſtudio detinerem. Profectó hoc animo arteque ſua ad excellentẽ quendam dignitatis gradum perveniſſet, ſi duo hæc ſumma adfuiſſent; præſens ſcilicet quorumdã Favor, &, quod maximum eſt, Ipſius voluntas. hac de ſpe & gradu infra dicturus ſum. Animus etiam

jam tum ad bellum erat propensior. Ad Ciceronem nunc omni contentione se convertit: cujus licet nonnullas orationes tum libros de Oratoria attenté perlegisset: non tamen desistere voluit, quin Ciceronē totum suum faceret. legit relegit omnia Ciceronis scripta; tantíque in lectione progressus, ut periodos sententiásque Ciceronis notaverit, tum locos in quibus illæ tenerentur, memoriæ, quæ in eo summa erat, mandaverit. Præterea aureum illum de Oratore libellū ad verbum tenebat: Epistolas ad Atticum, Orationes illas Philippicas in succum & sanguinē suum, ut vulgó, converterat. Philosophiæ nihilominus incumbebat. Quæ legerat, perceperat, ambulando meditandoque digerebat. Illustrium tam Græcorum quám Latinorum vitas legens se recreabat, precipué eorum qui bellica virtute insignes fuissent. præstantes illos militari laude Duces, non semel omnibus Philosophis Oratoribúsq. præposuit. Xenophontē propter sermonis puritatē facilitatémq. studiosé legebat: cujus Cyropædiā ex parte Latiné transferebat: verúm temporis brevitatis, tū studii sui memor, destitit. Observabatur jam, ut notus, á multis, partim amore, partim odio. Sparserant inter suos nonnulli, hunc novum Declamatorem valere aliquid in re Oratoria, adjutrice fidâ memoriâ: verúm in Philosophia nihil præstare posse. Quod judiciū cum ab amicis accepisset, ad me retulit. Ego institi ut periculū in Philosophia publicé faceret. Libens paruit. Ne illotis jam manibus sinceræ illius Philosophię specimē edere videretur, octiduo anté præmisit Orationē de Eloquentia cum Philosophia conjugenda: in qua claré docuit, quid Philosophia, quidq; esset Eloquentia; quám hæ Dominæ rerum inter se sibi conjunctæ essent. Hic & illos qui Philo-

Philologorum nomine tumidi sunt, perstrinxit, tamquam eos qui Philologiã suam Eloquentiæ Philosophiæq; præferrent. Oratione habita, Theses, novo ante illum die exẽplo, impressæ, affixæ distributæque fuerunt. Conceptæ hæ Theses erant de Methodo, materia sané utilissima & nobilissima. Duo hic summa admiratione digna esse omnes censebant: Primúm, Quód hæ Theses de UNICA METHODO essent propositæ. quæ sententia publicé gravissimos habebat adversarios: Deinde, Quod sine ullo pręside, suo Marte, pręter omnem morem, defensurus esset. Laborabat hic plurimorum odio, quod multi Philosophiæ studiosi, tum alii in ipsum effuderant. Invidis arrogans visus est quod tãtum sibi sumpsisset. In eo jam molestia permagna sita videbatur, nimirum, quomodo adversariis ita exacerbatis (postquã sine pręside res tã controversa defendenda esset) silentium imponeretur. Quæ res maximé eum bonosque omnes sollicitos habuit. Verúm inventum á nobis remedium certissimum & honestissimum, quod ei, priusquam ingrederetur Disputationem, sępius proposui. Est autẽ hoc: Vt jam calore disputandi incitatis, vehementiúsque insurgentibus, & sine lege vociferantibus, tarda graviqúe voce, vultu sedato, responderet: & quo illi insolentiores, eó ipse esset moderatior. Hoc modo commodé adversariorum clamoribus obviã itum est: tũ defendentis animus in sede sua semper præsens mansit. Suo itaq; tempore, ceteris silẽtibus, bono more, finita Disputatio est. Quod cúm vidisset, paucis ea quæ de unica Methodo confirmanda adhuc haberet, exposuit, docuitque. postremó, Gratię ex cõsuetudine actæ. Generosi, adolescẽtes virtutéq; pręditi viri hunc magis magisque amabant: ante alios Adolphus Meker-

 chus,

chus, Flandriæ Preſes, antiquis moribus ſummáque eruditione vir, hujus in reſpondendo moderationi ſingularem laudẽ tribuit; adoleſcentémq; propter ſtudia animúmque quem in Hiſpanum hoſtẽ gerebat, tum propter avunculũ (de quo ſuprá dictum) cujus olim ipſe Lovanii in Mathematicis auditor fuerat, in oculis habuit & commendavit. Iam denuo ad Ciceronem revertitur: omnéſque qui ſuperiori ætatę apud Italos dicendi facultatę clari evaſiſſent, requirit. Politianum, Barbarum, Campanũ, Fauſtum, Bembum, Sadoletum, Longolium, Sigonium, Muretum alioſque jam comparaverat: quos legens, qua in parte quiſque excelluiſſet, notabat. Et licet plurimum in hoc ſtudio proficeret & valeret; animus tamen bella ducéſq; ſpirabat. Non procul jam aberat dies Aprilis XII. quo ante annos XXII. Ludovicus Naſſavius, fugatis copiis, deſideratus fuit; quem publicé eo ipſo die celebri oratione ornavit. Studia nunc hujus Mæcenatẽ quemdam inſignem poſtulabant. nam patria capta, fortunæ everſæ, res anguſtæ, tum, quod majus, animus liberalis erat. uſus hic per invitus, me inſtigante, viri eruditione & nomine clariſſimi commendatione ad eum, cujus é dignitate tum etiã utilitate eſſet hujuſmodi adoleſcentes fovere adque altiora erigere. verúm modeſtâ excuſatione tacitã quaſi repulſam paſſus, altiores capiebat ſpiritus, ea reſpondens quæ ſe & viro digna eſſent. Magnis ſtatim paſſibus Leidam, quam in conſpectu habebat, iterum contendit; nihil cogitans agénſq; quod prę-ter virtutem ſummámq. foret honeſtatẽ. Iam annum XIX. exceſſerat: quo tempore, de pace ineunda cum Hiſpano, frequens apud plebem erat ſermo. Blandum hoc & jucundum Hiſpanæ pacis malum laté proſerpebat. Hic rerum

cauſſas

caussas & eventus considerans, Pacē veram cum Hispanis fieri nullo modo posse, constanter affirmavit. & si mihi, inquit, ea in re crederetur, apertissimé demonstrarē. Quid factum; Hispanorum res gestas sedulò perlegit; Naturam, Ambitionem Avaritiamque notavit: Proscriptionem Hispani promulgatam in Principē Auraicum, hujusque Apologiam, tum Ordinum Scriptum, quo declaratus est hostis Belgarum Philippus, summa diligentia perlustravit. His accesserant Præcepta Politices, Orationésque Ciceronis Philippicæ; ad cujus imitationem hanc suam Orationem contra Pacem Hispanam formaverat. Et ut Cicero ostendit, Pacem cum Antonio esse inutilem, turpem, & eam quæ fieri non potest: sic & hic de Hispani Pace judicavit. Orationis genus acre, argumentis, interrogationibus brevibúsque periodis abundans. Convolabat ad locū satis clarum & commodum: in quo, si copia dicendi facta fuisset, non sine admiratione dixisset. Hanc copiam dicendi sibi non fore, licet ex parte præsentiret; voluit tamē exemplo antiquorum Romanorum animum suum erga Rempub. suique spem adolescens declarare. Non multum igitur hîc præter exspectationem accidit. Hęc Oratio contra Pacem Hispanam; si illis temporibus (quod non ita licet) lucem aspexisset, sine dubio Politicorum judicio, propter sua illa ita in acie collocata, argumenta, variorum ut vocant Discursus sive Disputationes, illis temporibus editæ contra Pacem Hispanam, rationibus suis inferiores habitæ fuissent. Conquirit nunc Græcos Latinósque qui de Moribus tum Illustrium Virorum vitas scripserunt: ceteros Ciceronis libros Philosophicos tum & Valerium Max. manibus terebat. hunc scriptorem, ut Praxin Ethices traden-

tem, plurimi fecit. Et cúm videret vanum esse nomen Philosophi, nisi is Philosophiam quæ in primis in Moribus consistit, vita & exemplo explicaret; Orationē publicé instituit de Simulata Philosophia, contra eos agens in genere qui nomine non re essent Philosophi. qua oratione novos sibi creavit calumniatores. Imminebat nunc sollennis dies kalend. Augusti VII. quo, anno LXXXI. omniū Ordinum Fœderatorum sententiâ habitus declaratúsque fuit Belgarū hostis Philippus. In hujus Tarquinii Hispani Regiffugium clarissimam orationem magna in frequentia habuit. atque hoc circa illud tempus quo secundis ventis Classis illa Hispana Britanniam jam petebat. cujus orationis mentionē facit in ea quę prelo edita IN CLASSEM XERXIS HISPANI, cúm primum animum studiúmque suum aperuisset, hoc modo: *Quemadmodum igitur antea sponte meâ & naturâ paratus, cúm maximę furor arderet Hispani, cúm ventis, velis, remis incitata Classis aduolaret, tum* VII. *Kalen. Aug. quo iudicatus est Hostis Belgarum Philippus, Diem Patriæ salutarem, gratum bonis viris, mihi veró jucundum laudatione in memoriam revocavi: ornavi constantiam; abjeci socordiam. potentiam Hispani videri magis quám esse pertimescendam probaui: Sic idem ego nunc jurejurando confirmatus, Deum immortalem Patriámque testatus de pernicie atq. Terrore universi terrarū Orbis exstincto, oratione triumphabo.* Subsequebatur jam dies August. III. quo res gestæ Principis Auriaci ex more recolendæ essent. quare cúm ante biénium de Virtutibus Principis in genere dixisset, nunc de singulari Principis Virtute, MAGNANIMITATE, verba fecit. Ad studia privata se iterum conferens, Orationes Demosthenis, & maximé Adversarias istas duas diligenter recognoscebat: Ad Rhetoricæ Aristotelis lectionē accedebat,

in

in qua Aristotelē se ipsum superasse judicavit: nec veritus est hanc Rhetoricā librorum omnium quos hodie habemus Aristotelis appellare præstantissimum. Intervénit hic tempus illud optatissimum, quo ferra flammâque fugata, ventis dissipata, fluctibus absorpta scopulisque illisa est potentissima illa CLASSIS HISPANA; nuncio omnium gratissimo. Nam (ut veré hic in principio Orationis) *quæ res umquam accidit, vel accidere potuit, aut Britannis Belgisq. optabilior, aut exteris nationibus utilior, aut acerbior Hispanis, aut commendanda magis memoriæ posteritatis sempiternæ? Prius ille ipse Oceanus, qui naufragos illos absorpsit, dissipavit, ejecit, Britanniam atque Belgicam, prius ipsam inundabit Hispaniam, quám iustissimū illius pestiferæ Classis interitū ulla vel oblivio delebit, vel obscurabit vetustas. quám enim diu aut nostrum, aut illorum nomen exstabit, tamdiu & victoriæ nostræ manebit & calamitatis illorū recordatio. Itaque hanc ego victoriā eo libentiùs alacriúsq. commemorabo, quód nihil accommodatius sive ad tristitiam calamitosorum consolandam, siue ad tarditatē otiosorum incitandā esse videatur. Quod enim majus ad minuendum dolorem solatium, si tam celerem tantæ Classis interitum? quod acrius ad defensionem sui suorúmq. incitamentū, si* CUPIDITATEM DOMINANDI *expendas?* Nactus igitur hic Orator noster præclaram materiam, typis Orationem in CLASSEM XERXES HISPANI commisit; REGINAEQUE, omni ætate propter omnigenas virtutes clarissimæ, dedicavit. Hujus Orationis exempla pauca exquisitissimis formulis impressa fuere, adque virorum præstantium manus potissimúm pervenére. Multi hanc mirati Orationem, cúm rem ipsam, styli elegantiam, adolescentiam authoris animúmque magnum perspexissent. Orationis hujus partes duæ: prima est de ipsa Classe, in qua stylus sublimis, & apparatus

paratus sermonis magnificus, potentissimæ Classi tam ad pompam quám ad pugnã instructæ superbissimique Hispani ostentationi conveniens: Altera est, in qua stylus cõcisus, interrogationes crebræ, argumenta brevia, oratio cõcitatior, utpote ad eos scripta, quorum res est, hac oblatâ occasione, armis virisque Hispanum ambitione furentem coërcere. Multa hîc prævisa & anté denunciata quæ contigerunt hodiéque contingunt. ita inter alia ad REGINAM: *Hoc Navali Terrore sublato, ne rem unam esse actam putemus, Tria secunda nobis, adversa illi acciderunt. quandoquidem & Periculum, quod imminebat, repulsum; & formidolosa aliquantum imminuta Potentia; &, quod ego maximũ esse duco, patefacta est omnibus* DOMINANDI CUPIDO. *hinc quanta sit consecutura Mutatio, ego non dico; vident Prudentes, ipse qui propinquat, Dies docebit.* Hanc tamẽ Orationẽ, ut pictã & mutã, non magni fecit. Animã & Actionẽ huic deesse dolebat: *utinam*, dixit, *mihi apud eos hæc dicenda esset Oratio ad quos pertineret; satis tum me magnum laborum meorum fructum consecutum fuisse existimarem.* Nunc xx. annorum adolescens, locum quem antea bis térve salutarat, repetit: atque hoc animo significandi studium mentémque suam, ut in re honestessima, sic & ejus vitâ maximẹ dignâ. Nomen jam quoddam pepererat edita Oratio. Admissus fuit apud eos quos summé alloqui cupiebat. Hîc habita oratio: Adolescens, temeritatis notã priús declinans, ut vir loquitur: animũ studiúmque suum exposuit. discessit. revocatus mox, Latinâ Oratiône á principe quodam viro exceptus; ejusque studium & animus erga Patriam probatus est & confirmatus. Biduo aut triduo póst quum hunc locum reliquisset, ad eum perlatæ litteræ á summi ordinis Viro scriptæ, hoc exemplo: *Omnino cupiebam*

bam, doctissime Verheiden, ut te, cúm hîc esses, salutarem. Id quia non contigit, intelligas nunc velim, curaturum me, ut & Oratio tua tam insignis ad Reginæ manus perveniat, & certe summis laudibus comitata perveniat. Quod non eó dico, quó putem eam aut meo egere, aut sané cujusquam præconio: sed est scripta elegantissimè, planéque supra ætatem tuam, & supra consuetudinem aliorum quantumvis licet doctissimorum hominum. Quo quidem nomine non possum, quin quod sentio exponam, & Reginam litteratissimam ad litterati muneris remunerationem adhorter. Id quod libenter & quam primúm faciam: mihíque gratulor interea hac tali notitia tanti adolescentis: missum veró exemplum gratissimus amplector. De negotiis quoque meis, nisi ita, ut scribis, esset, vix ut mihi tribuant vacuum tempus; me Lugduni Batavorum propediem videres, hominemque Anglum tui studiosissimum cognosceres. N. Feb. 21. 89.

Volvere eo ex tempore ceperat Historicos, Herodotum, Thucydidem, Sallustium, Livium, Tacitum, Conciones Livianas, tum aliorum tàm Græcorum quam Latinorum, in quibus prudentia summa & Historiæ anima cernitur, magna voluptate non semel sed sæpius legerat. Quó magis in his versabatur, eó animus ardentior (quem tamen sæpius extinguere conatus sum) ad rem gloriámque militarem ferebatur. Cúm menses jam aliquot ab eó abfuissem, scripsi ad eundem de studiis utriusque nostris: postremó, agens de rerum nostrarum statu & fortuna, contendi, ut, prima data opportunitate, responderet. Quod fecit. Litterarum ipsius exemplū hîc adscripsi, quó planiús eo tempore condicio, vita, animus resque ejus omnes sint perspectæ; his verbis: *Omnia in adventum tuum reservassem, nisi scire cupiisses, si quid accidisset, quod ad te scribendum putarem. Primum igitur illud velim intelligas: nos utroque & ani-*

mo & corpore maximè valere. Animus enim ipse erigit se attollitque quotidie, sperans vel potius confidens fore, his depravatis nostrorum moribus, occasionem, qua se, vel invitis aliis, ostentare cum laude possit. Corpus autem sic exerceo, ut, cum tempus postulabit, cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte videar certaturus. Quid ergo tantùm corporis caussâ laboro? non: verùm quoniam animum aliquando sine robore corporis nullum esse video, hoc illi adæquare etiam nunc volo. Illud mihi studium delegi, quod non modo alacritatem ingenii, magnitudinem animi, verùm etiam vires corporis requirit. Rem nostram perangustam esse non ignoro. est igitur elaborandum nobis, ut egestatem propellamus, retineamus honestam paupertatem: neque enim, crede mihi, quisquam extollere sese, & divina mortalis attingere potest, nisi relaxatus cura rerum externarum. Quod verò quæris, num qua res aut spes sit: certè spes & res summa, sed in virtute nostra; ab aliis nullam dum expertus. fortasse

—Via prima salutis
Quod minimè reris Graja pandetur ab urbe.

Censorum verò judicia nihil moror. nullius enim neque laudationem vehementer exopto, neque reprehensionem magnopere pertimesco. An verò aut tam sordidus sum, ut gloriam omnem asperner? aut tam impudens, ut aliorum judicia non metuam? nihil minus. Cognitio mei ipsius me & futurum tempus sustentat. Habeo plura scribere, quæ te scire non nolle arbitror: sed jam desino. te propediem exspecto: matri meliusculè esse gaudeo. Vale. Lugd. 22. Apr. An. 89.

Constituerat nunc mater & ego, hactenus ut voluntarii exules Dordraci agentes, nos nostráque transferre Leidas, ut eo in loco simul viventes sumptu faciliori rebus nostris consuleremus. Quod contigit. Annum tantum unum hic vná vixeramus: quo hęc secutus est studia. Primúm se colligens moribus se dignis studebat: voce, gestu, vita nihil

edere

edere annitens quod in alicujus reprehensionis notam incurreret. Lectiones Theologicas, habitas ab eo qui methodicé, expedité Latinéque docebat, summa attentione audivit; ut Epistolam ad Rom. tum loci Communis de Authoritate & Interpretatione Scripturæ explicationem, Bellarmini Sophistæ ratiunculis oppositā. Proponebat & tres Authores, in quibus eo ipso anno feré totus erat; scilicet Virgilium, Ciceronem, Liuium. Verum majorē operá in Virgilio ponebat: ad quem multo cum fructu intelligendum nec labori nec sumptibus pepercit. Hunc cúm legisset sæpius, non tamen contentus quin Æneidos libros memoriæ mandaverit: deinde conquisivit poëtas tam Græcos quám Latinos, quos Virgilius vel secutus, vel imitatus fuisset, vel etiam correxisset vel notasset; in primis Homerum, Apollonium Rhodium, Ennium, Lucretium, aliaque Authorum fragmenta: quos cúm legeret, Virgilianæ Æneidos Rhapsodiam, quam jam totam tenuerat, agnoscebat. Verba verbis, res rebus conferens, eruditionem judiciúmque Virgilii multis modis anteferebat. Adhibuit præterea commentarios in eumdem poëtam, postremoque jam legens doctissimos illos libros de re Poëtica, quos scripsit Iul. Cæsar Scaliger, verus alter Varro, mirificé lætatus est suam cum Scaligeri sententia convenire: qui hoc in illis libris molitur præcipué, ut Homero Virgilium superiorem esse significet & demonstret. In gratiam etiam Virgilii legit memoriæque impressit breve illud opusculum Musæi, antiqui Græci poëtæ. licet dubitetur propter varios Musæos, num hic ille sit cujus Virgilius VI. Æneid. meminit: *Musæum ante omnes*, &c. Ita Virgilium coluit, ut eumdem per excellentiam Doctorem

suum appellaverit. Dixit quoque, Si interrogatus, uter mihi magis profuisset, Virgilius, an Cicero? responderem, inquit, Virgilius: quem & authorum omnium in suo genere præstantissimum, Latinorum scilicet Græcorumque principem judicavit. Hujus Poëtæ varias habebat editiones: puerísque, in quibus lumen aliquod animi esse conspiciebat, ad se aliquando vocatis, in signum diligentiæ, Virgilios, non sine Authoris commendatione, donabat. unde á quibusdam Virgiliorum dator dictus fuit. quo titulo sibi visus est aliquando placere. Graviora jam meditatur. Quæ res Imperia & Respublicas extulisset, easdemque evertisset, perpendens, Remque publicam Batavicam privatorum moribus corrumpi, patrióśq. mores mutari perspiciens; Orationem publicé ad Novos Batavos habuit: quos Novos nova vivendi ratione nominavit. Præclara & antiqua, contrá, præsentia privatorum Batavorum studia repetiit. Nihil ita obesse quám corporum animorúmque voluptatem, cui novi peregrinique mores, quos ut plurimos notaverat & perstrinxerat, accessissent. conclusit demum: Corruptis privatorum moribus, Rempublicam nullo modo posse consistere. cujus Orationis verba hæc postrema: *Illud denuncio, illud prædico, utinam fallar; Nisi in viam redeamus, etiam si nihil ab externo hoste metuendum sit; Patriam intestinis esse dissidiis interituram.* Bellica nunc laude præclaros suo more extollebat: vix jam videbatur admittere aliquem, qui á bellicis studiis eum avocaret. Obstiti vehementer. Quocirca vitam, quam hactenus duxisset, tum & præsentem otio plenam esse interpretans, nullámque sibi offerri occasionem, qua virtus enitescere posset conquerens; statuit exteras adire regiones, & in primis

mis Rempublicam Venetam toto orbe celeberrimã, Oratione etiam, si fieri posset, salutare. Quod ipsius studium & animum comprobavi, sperans hoc modo de bello cogitationes eximi posse, vel saltem ad tempus supprimi. Hæc circa Kal. Oct. fuére constituta: insequentis veró anni xc. Kalendæ Martiæ profectioni peregrinationique præfixæ. cum mercatoribus enim Francofordiam eundum erat. Interea temporis Liviũ absolvens, Ciceronémque postremó recognoscens, de studiis suis in exteris regionibus cogitabat. His cum fatigatus esset; instituebatur inter nos sermo nunc de situ & natura Regionum, nunc de gentium moribus, urbium splendore & legibus: tandem & de illis viris qui majorum ætate litteris scriptísque claruissent, tum qui hodierno die florerent. Appropinquabat jam profectionis tempus. Quamobrem, ne temeritatis accusaretur, Primúm ad eos scripsit, quibus ex officio se indicare debere Discessum suum est arbitratus: præterea ad eum virum cujus officia anté perspexerat & senserat. quas postremas litteras, ut proficiscentis animus Lectori magis sit apertus, adjeci; his verbis: *Ita mereris de me ut præterire non possim, quin tibi perscribam institutum meum. Quã de re corám cúm adessem sermocinatus eram, eam perficere in animo est, hoc est, profectionem aliquam expedire decrevi. Quod ut facerem rationes me plurimæ impulerunt: non voluptas, quam non modo animus noster, sed etiam fortuna nostra contemnit: non studium lustrandi, quod illis relinquo qui meliora non meditantur: non denique illa quorum caussã vulgó peregrinari solent. aliud consilium nostrum est: quod quidem ita instituemus; ut quám celerrimé opportunissiméque redire possimus. ubi enim potius hæc vita traducatur quám in Patria, in qua & pro qua omnes boni, & ætatem, & si res ita fert, animam agere debe-*

mus? Hoc te ſcire volui; partim, ne quid ignarus eſſes itineris mei; partim, ſi quid eſt quod me velle velis, hominem tibi deditiſsimum reperias. Vale. XXII. *Febr.* M.D.XC. Hæc cúm curaſſet, ultimam habuit orationem ad Academicos: ad quos de ratione Diſceſſus ſui, De Vera utilitate Proficiſcendi, de ſtudiis ſuis, partim cum voluptate, partim cum dolore aliquorũ dixit. Hic quoque Quæſtioné tractavit; *Bello-ne an literis major claritas & gloria contingeret?* concluſit; Claritaté ex Litteris, verúm ex Armis laudem gloriamque majorem comparari. quod cum ratione exemplíſque probaret; inter cetera uſus eſt domeſtico exẽplo Leidenſis Conſulis P. Adriani, quem propter heroïcam virtuté plurimi ſemper fecit: cujus immortalem gloriam, ſcribentium claritate omniúmque Doctorum voluminibus longè præſtantiorem eſſe prædicabat. Poſtremó ſingulos ordines Auditorum ſalutans, iiſdem Academiæ PATRIÆQVE PATREM PRINCIPEM AVRIACVM ante oculos poſuit, ejuſque virtutem, qua primus inter tot Principes, Ordinum voluntate, Tyrannidi Hiſpanæ ſe objeciſſet, retulit & illuſtravit. tandem operam ſtudiúmque ſuûm (modó vita ſupereſſet) Academiæ omnibuſque eſt pollicitus. precatúſque ut unuſquiſque ita ſe in ſtudiis gereret, ut de Patria communique ſalute quám optimé mereatur. Ingrediendum nunc iter erat. Ego me illi, ex voluntate maximé matris, in itinere conjunxi. maluit ſollicita mater utriuſque carere præſentiâ, quam alterum ignota in regione ſolum vitam trahere. Hoc priuſquã ſibi iter ſuſciperet, duo propoſuit: primúm ut nihil tentaret agerétve, quod cura aliqua aut induſtria elaboratum editúmque videretur; omnia ſua in ingenii promptitudine collocans. Alterum, nihil ut aggrederetur, quod non

aperté vel clam ad Patriæ Libertatis defensionem, contra hostes potentiores, pertineret; hoc ipso magnum excellentémque animum suum significans. Die jam ventísque exspectatis, accincti itineri stamus; ferro magis quám auro instructi; animo quám fortunâ majores: Hamburgum, Anzeaticam urbem, bis térve reluctantibus ventis rejecti, magnis tandem molestiis pervenimus. hinc Cassellas Hessorum; quo in loco coactus est hærere propter cruris inflationem, cujus caussa salsa aqua, qua ejus pedes in terrâ descendere volentis quotidie tingebantur, cúm in Vlilandia maris Batavici ostio, ventis longo tépore repugnantibus, subsisteremus. Quadrigis tandem, ut ex pede laborans, Francofordiam vectus est, nundinis Vernalibus. Inde Heidelbergam progressi, dies circiter quatuordecim acquievimus. Hic consensu Senatus Academici orationem dixit, cujus argumentum erat: *De eo quod maximé est ex Hominis Dignitate*, intellexit hoc esse, Defendere Patriæ Libertatem: pro cujus Libertatis Defensione antiquú illud Germanorum, Principúmque Palatinorum studium exposuit: testatúsque est, nunquá magis esse vigilandú pro Libertate, quám hoc tempore, quo Libertati tam multæ insidiæ struuntur ab eo cujus Ambitio & Avaritia insatiabilis esse videtur. Hoc argumentum postera die duabus lectionibus exposuit, adducens verba CÆSARIS, quæ exstant Comméntariorum libro VII. Habetur hic Oratio Critognati Arverni pro PATRIÆ LIBERTATE dicentis. in hæc veró quæ sequuntur lectiones habuit: *Romani quid petunt aliud, aut quid volunt, nisi invidiâ adducti, quos famâ nobiles, potentésque bello cognoverunt; horum in agris civitatibúsque considere, atque his æternam injungere servitutem? neque enim unquam alia conditione bella*

gesse-

gesserunt. Quòd si ea quæ in longinquis nationibus geruntur, ignoratis, respicite finitimam Galliam, quæ in provinciam redacta, jure & legibus commutatis, feris securibus subjecta, perpetua premitur servitute. Quos hodierno die per Romanos intelligebat, facile prudentiori conjicere auditori licebat. His peractis Basileam contendimus; venimus; summæque authoritatis virum Basilium Amerbachiũ tum & Grynæum Theologum salutamus. Orationis dicendæ venia est impetrata. Dicenti apertus locus honestior est. Dixit *De Merito Basiliensium erga Liberas Nationes*. Meritum hoc Basiliensium interpretatus est *Concilium Basiliense*: quod inchoatum An. M. CCCC. XXXI. in quo definitum Sess. II. III. XVIII. *Quod Concilium Generale* (referente abbreviatore Conciliorum Caranza Archiepiscopo Toletano) *potestatem immediaté à Christo habet, cui quilibet cujuscunque status vel dignitatis, etiam si Papalis existat, obedire tenetur.* Ad quod Conciliũ sæpe Luterus Germaniq́ue Theologi, cùm primùm tanti Operis, Regni scilicet Christi jacerent fundamenta, provocarunt. Cum hoc igitur Basiliensi Concilio, quo statutum est, *Concilium esse supra Papam*, non solùm Ecclesiæ, verùm etiam Respublicæ oppressæ Papali Tyrannide ad Libertatẽ suam respiraveriut. hic igitur non immeritó de Basiliensium Merito erga Liberas Nationes verba fecit. argumentum loco convenientissimum. Tota vis Imperii Pontificii in hoc capite sita est: quo præciso, Papa nil nisi truncus erit. Hac Oratione Professorum, qui omnes feré Basilienses, tum nobiliũ Gallorum exulum animos sibi devinxerat. nonnulli actioni dicentis nescio quid Periclis attribuebant. Constitutum nobis hîc ad aliquot septimanas subsistere. Ne jam in otio vitam ducere videretur, publicé *Orationem Sallustii I. ad Cæ-*

sarem

ſarem de Republ. ordinanda, agens primùm de laude fructûque Hiſtoriæ, expoſuit. Lectiones ejus, orationis ſpeciem referebant, ad quas nullo ferè labore & præmeditatione accedebat. Hic jam rem novam experiri voluit. Cùm jam lectiones aliquot habuiſſet, cōſtituit ſequentis diei Lectione phraſin flexúmque Latinitatis Salluſtii, ſecundâ Livii, tertiâ Taciti exprimere, quod tentans pręſtare viſus eſt. ſed illam juvenilem imitationem in ſe ipſo ampliùs non ferens, commune loquendi genus eſt ſecutus. Baſilienſes nunc longo tempore Græcæ Linguæ Profeſſorē videbantur deſiderare. nonnulli hunc de hac provincia allocuti: alii de Eloquentiæ vel Rhetorices profeſſione commutandâ. ſtudebant huic multi, maximè Baſilius Amerbachius; qui hujus animo & lectione ſe aliquando recreare viſus eſt. Honorem hujus Profeſſionis modeſtè recuſavit: miraríque ſe, dixit, inter Baſilienſes homini peregrino, ſine ulla amicorum commendatione, tantum tribui: Venetum Iter ſibi longè antè in Patria præfixiſſe: hoc conficiendum eſſe affirmavit. Indicavit paulo pòſt fortunæ rerúmque ſuarum ſtatum, quæ adjumentum vel ſolatiū aliquod itineris deſiderabant. quod & donatū. Hæſeramus Baſileæ ſeptimanas ſex, quibus præter ſuperiores labores, egregiam poſuit operam in Iulio Cæſare, cujus non ſolùm Commentarios, ſed cujus etiam Vitam á Græcis Latiníſque ſcriptam pernoverat. erat autem hæc opera: Cúm perſpiceret, ſuo doctiſſimorúmque virorum judicio corruptum, mutilatúmque admodum eſſe Cæſarem; eó ſe contulit, ut non ſolùm Collatione locorum Commentariis comprehenſorum, ſed etiam ipſius Cæſarei Animi cum ipſo Collatione, Cæſarem multis in locis emendaret &

 reſti-

restitueret. quod & se fecisse existimaverat. Forte nemo eo rectiús sine subsidio librorum, tum etiam feliciús hoc potuisset. nam verba, verborúmque tum Phrasium formulas, flexus moderationesque syllabarum, si quisquam alius, hic tenebat: &, quod majus est, nescio quem spiritum animámque Cæsaris fingebat, cui etiam verba ejusdem convenire volebat. quó locum haberet illud authoris, puto Quinctiliani: Cæsarem scilicet eo animo scripsisse, quo bellasset. Ostentabat hic se é novo militaris animus. frequentabant hanc urbem Gallicæ militiæ duces: aderat & Gallicarum rerum procurator, cui notus & gratus. Sed Itineri Veneto insistendum erat. Gratias igitur ante alios egit Basilio Amerbachio, cujus humanitatē liberalitatémque eximiam fuerat expertus; petiitque ut hominis peregrini, viatoris, & sine ulla Bibliotheca, lectiones boni consuleret. Amerbachius statim hunc *Bibliothecam vivam* pronunciavit. ex quo videre licet quám ingens thesaurus sit Memoria. Basileam relinquentes, Tigurum venimus, primariam Helvetiorum civitatē: D. Ioanni Guillelmo Stuckio, viro optimo, bene precamur. De facultate habendæ orationis hic loquitur. quod novum hoc in loco visum fuit. Collegio placuit certis de caussis non habendā. Intellexerat hic inter cetera, præter loci morem esse. Iterum jam accedens Stuckium, valde extulit Helvetios, dicens; Helvetiorum animos cum suo optimé convenire: quod & argumentum Orationis maximé confirmasset. erat autē hoc: *De Laudibus Helvetiorum antiquos patriósque mores ante alias Nationes tuentium.* Quod læto vultu excipiens Stuckius, Vtinam, inquit (simili feré sententia) numquam á patriis moribus deflecteremus, omnia tum se constantiús in Repub.

 habe-

haberent! Venetias nos contendere diximus, proficiscique Curiam, quæ Rhetórum metropolis est. Circa hoc tempus sollenni more, Curiæ Rheticarum Ecclesiarum Synodus cogebatur: in qua & amici Stuckii, inter quos, ut putabat, Scipio Lentulus adesset, cui per nos scripserat. Curiæ I. Pontisellam convenimus: eruditionem humanitatémque viri miramur. Multi hoc Iter nostrum Venetum eo anni tempore non probabant. nam per magnos æstus An. XC. Alpes superandæ erant. verúm animo corporéque valentes nullus deterrebat labor. Inter labores & discrimina sua etiam fuére solatia. erat enim ad manus Iustini Historici Epitome, cujus lectione jam desidentes etiam animum collegeramus. Legimus inter alios, lib. IIII. in quo de Rebus Siculis tractatur: qui liber nobis occasionem dederat pluribus in via loquendi de SICILIA, Bellis Siculis eorúmque caussis. Multa hic ex Virgilio, Ciceronis Verrinis, Livio & Thucydide in medium producebat: neque unius diei sermo noster erat de Rebus Siculis. Ad Clavennas descendimus, quæ quodammodo Lacui Lario sive Comensi adjacent, tum viam quoque ad Vallem Telinam aperiunt. hoc in loco pastorem agebat grandævus, venerandus, exercitatúsque vir Scipio Lentulus Neapolitanus, religiosus quondã magni illius Theologi discipulus: Huic Stuckii litteræ redditæ: in quibus & scriptum, ut viam ad Venetos nos doceret. qui percipiens nos esse Belgas, eósq. liberos, hoc est, Hispanum non agnoscentes imperium, consuluit ut tractus regionis Mediolanensis declinaremus, Vallemque Telinam teneremus. quæ via nobis, animi factique nostri probé consciis, si cuiquam, erat eligenda. Vallem igitur Rhetórum fertilissimam amænissimámque

perlustramus. Hic iterum de Sicilia fuit institutus sermo: de situ, antiquitate, fertilitate, hominum fructuumque natura, soli cælique clementia, Ducum Doctorúmque frequentiâ, multis variísque bellis propter Insulæ imperium gestis, postremo de CUPIDITATE DOMINANDI contulimus. Ita enim veteres judicarunt, ut omnes, qui Siciliam potestatis suæ facere contendebant, ambitione incensi Imperium quoddam affectarent: ad quam regnandi ambitioné exstinguendam omnes vicinæ gentes Græciáque tota concurrere solebat. neque injuriâ. tutissima Insula sedes belli, in Africam, Europam, Græciam Italiámque in primis ducendi. Disputatum & hic fuit de præsenti Siciliæ Tyranno, ejúsque potentiâ. Exposita hîc quodammodo nostris erat oculis Insubria illa, quæ quasi altera Sicilia sive Helena, propter quam tot bella gesta sunt, quot propter ullam regionem umquam meminimus. hanc utramque Helenam singulari arte compressit: oppressam constrictámque tenet libidinosus Hispanus. Atque ita pluribus de CUPIDITATE DOMINANDI locuti sumus hac in Valle: quæ, ut Italiæ vicina, plurimos Italos, Religionis caussâ exsules, excipit atque recondit. sunt hic ex mediâ Italiâ viri pietate, eloquentiâ & doctrinâ præcellentes: inter quos, præter superiorem illum Scipionem, est & Scipio Calandrinus Lucensis, quorú ductu & ope iter nobis fuit expeditius: est & hic Octavianus Meier, toto illo tractu clarissimus; qui Christi oues, Romano Lupo ereptas, in Valle hac viridi, lætâ conscientiâ, salutari Dei Verbo pascit. Harum Rheticarum Ecclesiarum statu mirum in modum animi nostri fuere exhilarati. Pergimus in Ditioné Venetorum: Brixiam, Veronam, Vincentiam, Patavium & tandem ad

metam

metam laborum VENETIAS pervenimus. Hic Rhodus, hic saltus. Venit, vidit, salutavit Venetias. Peregrini eramus: quibus, ut ille, contingit, ut multa habeant hospitia, amicitias nullas. Qui in Repub. splendore litterarum insignes essent, hic cupit cognoscere. Responsum á nonnullis; Pristinam illam Litterarum dignitatem quasi jacere, non Venetiis solúm sed per totā Italiam. quod & nobis visum fuit. Italiam ab ITALIA illa differre multum putavimus. Tandem oblatus Laurentius Massa, qui Academiis Patavinæ & Venetæ, tum Summo etiam, ni fallor, Senatui, á secretis erat: vir gravis & egregié doctus: quem studiis sententiæque nostrę responsurum credebamus. Cum ipso locutus, ejusdémque opera illustrissimos Academiarum Curatores accessit; petiitque ut jus dicendæ orationis sibi publicé concederetur. Quod petiit concessum est. Interrogavit (nova res) quo de argumento audirent libentiús, DE MAGNANIMITATE ne, quæ virtus quodammodo propria ipsis Venetis; An DE ARTIBVS ROMANORVM IN IMPERIO ACQVIRENDO? An, quæ res, hæc verba sunt, paullo gravior videtur, de ORTV & OCCASV MAXIMORVM IMPERIORVM? Hîc Viri illi, aderant & plures, totum novi hominis corpus lustrabant: animi, vocis, corporis ante alios omnes exstantis notabant præstantiam. alii hic alios aspicere, arridere, nescio preterea quæ signa dare. Responsum, præter rationem sibi videri, dicenti aliquid velle præscribere; verúm ex argumentis, quod vellet, eligeret: hac tamen lége, ut Orationem prius scriptam astanti Massæ, qui á secretis erat, traderet. cauté illi. Hæc circa meridiem contingebant: pomeridianum tempus meditationi dispositioníque futuræ Orationis

tribuit. Sequenti die dictavit mihi, & absolvit hanc, quam hic videtis, orationē Venetam, DE ORTV ET OCCASV MAXIMORVM IMPERIORVM; ex tempore quidem meditatam & compositam, sed non ex tempore habitam. nam inter vtrumque tempus septimanæ aliquot intercesserant. Probata quidem fuerat Oratio: sed Orationem dicturi animum, tempus differentes, explorare pernosceréque velle videbantur. Suspiciones hic nobis aliquæ, verúm non ita graves. Venetis veró longé graviores, ut postea collegimus, obortæ. Salutarat interea Principem Venetiarum Paschalem Ciconiam, qui erga doctos benéque de Republ. sentientes se propensum indicabat. Isto etiā temporis intervallo, ad Massam tamquam hominem privatum, Carmen quoddā satis longum scripserat, quo patriam, iter, studium, fortunam condicionémque suam liberius exponebat: in quo & hos versus in Hispanum, de patria agens, posuerat:

Fortunata nimis si numquam bella fuissent,
Aut impacatos numquam sensisset Iberos.
Ach patria infelix! nunc Libertatis honore,
Nunc spoliata jaces; dominos dignata superbos?
sic & infra: — *hinc lævos carpimus agros,*
Et Mediolani fundatas sanguine sedes,
Omnibus invisus quæ regna tenebat Iberus,
Linquimus, ac vallem libuit lustrare Telinam.

Quod hîc se Guillelmum Campanum Belgam appellaverit; duabus de caussis acciderat: prima, ut Latino sive Italico vocabulo cognomē Germanicum elegantiùs decentiúsque denotaretur apud Italos: altera erat, & hæc precipua, Ne forté familiæ nomen VERHEIDEN molestiam

quam-

quamdam pareret apud Pontificios Hispanósque adversarios. edita siquidem Oratio illa, in qua nec Hispano, nec Pontifici pepercerat. Exspectabat indies Orationem dicendi tempus: &, ne interea otiosus videretur, Novum Testamentum Græcé minutissimis typis circumlatum summo animi ardore legebat, attentúsque singula observabat. Præterea nobilissimū illum Tractatum Polybii DE CASTRAMETATIONE ROMANORUM (quem in Batavia Iano Lascare interprete Latiné memoriæ mandarat) nunc Græcé sibi paratum, tamquam imperator aliquis jam jam cum hoste congressurus, triduo memoriæ thesauro reposuit. Habita tandem Oratio est. Postridie significatum nobis á Belg-Italo, id est, ab eo qui longo tempore in Italia vixerat, vidisse se Carmen illud ad Massam in Officina typographicâ, quæsitumque á se, num nos novisset. verum astu an sincero animo hoc nobis significarit, nescimus. Hic aliqua occuparat animum nostrum suspicio. Postea cum Massa egimus, cujus operâ spes aliqua rebus nostris daretur. Sermo varius. hic interrogatus inter cetera, Num notitiam aliquam haberet cum Oratore Gallico, respondit, Vix illum de facie novisse. Felicem diem Massæ precati discessimus. Quid plura? Hac postrema interrogatione, quæ est de notitia Legati Gallici, intelligere cepimus, altas nobísque graves foveri suspiciones. Quorsum impressionem Carminis urgebant, vel imprimere se velle simulabant, visi sumus (sed tacité apud nos) colligere. nam dicentis Orationē animus versibus antea citatis jā ex parte constare videbatur. Oratio enim, ut animadvertere Lector poterit, omnibus in locis, sine ullius, nisi in genere malorū, læsione, legi potest. Altiores forté suspiciones illorum.

verúm

verùm ab ea re hic aberat longissimè. nam Marte, arte animóque suo, qui magnus erat, rem omnem aggressus fuerat. Paucis: Legatum Hispanum etiam summè metuebamus. Iam colloquia multorum, ex circumstantiis variis, non sine arte aliqua nobiscum fuisse instituta, nobis persuaseramus. Quid? timor ingens nos invaserat: Amplissima illa VENETIARUM urbs, valde angusta jã nobis visa fuerat: inter editissimas Alpes, harúmque ingentes minas & præcipitia magis cordi erat versari, quám inter tot excelsa magnificaque ædificia, exstructos superbosque altis columnis porticus. Verúm vespertinum tempus amicasque nobis tenebras exspectabamus: Belgarum quorumdam curâ & adjumento, tum tenebrarum beneficio, Vrbem reliquimus; magnísque itineribus in agrum Tridentinum contendimus. hinc per Tyrollensem agrum, Curiã nobis notam pervenimus. Cúm jam metu omni liberatus esset, dixit: *Licet molestum hoc fuerit iter; bene tamen se res habet: præstiti quod olim in patria volui & unicé optaui: Salutaui Venetos, tum oratione me illisque dignâ sum allocutus:* Animi exercitium hoc esse Iter putavit. Licet adversa essent plurima; animum tamen fortem gessit & invictum: nulláque de virtute ipsum dicentem audivi sæpius, quám de MAGNANIMITATE: Non semel ipsum recitantem percepi ea quæ Hermolaus Barbarus in IIII. lib. Ethicor. Aristotelis de hac virtute scripsit: quem locum propter elegantiam reíque præstantiã, his addere placuit: ita BARBARUS: *MAGNANIMITAS circa magnos versatur & excellentes honores, utpote circa eam rem, quæ bona fortunæ reliqua & prestantia, & dignitate, & clarorum hominum opinione antecedit. His autem honoribus, quos vir magnanimus appetit, etiam dignißimum esse oportet.*

tet. Quare optimus quoque sit est necesse. Nam si maximis honoribus se dignum rectè putat, maximis verò nulli majores esse possunt; erit ut etiam sit virtutibus omnibus prædítus, & quod sequens est, optimus. Alioquin majoribus dignus is esset, qui pluribus virtutibus esset illustratus. Honores itaque maximos ita suscipiet, ut minores tamen esse meritis suis atq. impares arbitretur. exiguos aspernabitur. Sane eodẽ pacto circa divitiarũ despicientiã erit affectus: utranq. fortunã moderatè & sapienter feret, pericula adibit permaxima, vitæ non parcet, invitus & cum pudore beneficio afficietur, magnus inter magnos, cũ reliquo genere modestissimus haberi & esse volet: maturus præterea, gravis, apertus, verax, liber, ab assentationibus abhorrentissimus; nullius rei admirator, immemor injuriarum: parcus, rarúsque laudator, numquam maledicus, incessu item lento, & voce gravi, sermone constanti. Præclara illustrium Ducum facta summa voluptate referebat: Homericos Virgilianósque duces, tum Populi Rom. studia & artes inter montium minas viarúmque præcipitia & anfractus, ruentiúmque aquarum fragores, resultantibus aëre vocibus decantabat. Id sibi deesse, in quo sua virtus se ostendere posset, conquerebatur. eó enim, ut existimabat, facilé impenditur labor, unde honos, nomen, imperiúmque aliquod speratur. Hîc valde eorum hominum detestabatur inertiam, qui cùm laude digna agendi occasionem haberent imperioque valerent, nullum virtutis documentum publicé dedissent. Altæ erant hæ cogitationes: sed ad altiores mox evecti fuimus. de rebus siquidẽ Cælestibus & Divinis egimus: quibus, quotiescunque de his sermo, ejus animus non mediocriter capiebatur. Hîc iterum bonum Concionatorem, tum bonum Imperatorem omnibus quacunque dignitate præcellentibus præposuit. Nihil jam ita optandum

quám tuta aliqua corporis quies. Quocirca Heidelbergam, ut tutam commodámque stationem, elegimus; eóque, primúm amicos in reversione salutantes, convolamus. Tigurini, quod in accessu non ita concedebant, jam sponte in reditu videntur proponere. sed hic, non solúm quid Tigurinis sed etiam quid sibi conveniret respiciens, se excusavit. póstque variis de rebus habita colloquia, imprimis cum Stuckio viro liberalissimo & Gabriele Gerbelio Lucernate Verbi Dei pastore, qui Romæ longo tempore inter Sophistas vixerat, Muretúmque, de quo sermo plurimus, horrendam illam Parisiensem cædem adulatoria illa voce prædicantem audierat, Læti hinc discedentes Basileam pervenimus. Amicis rem gestam exposuit, iisque bene precatus, Argentinam venimus. hîc Martinum Lobetium & Georgium Obrechtum salutamus; hunc quidem Amerbachii, illum vero Grynæi nomine. hic vitæ experientia clarus & scientiâ politicâ præstans erat: qui de Itinere hujus Veneto sententiam suam prudenter ferebat, eamdemque exemplis firmabat: paucis; reducibus tandem nobis non semel gratulabatur. ille Iurisconsultus clarissimus & professor, qui quantum ex sermone & scriptis conjecimus, Ius Civile nō opinionibus pragmaticorúmq. argutiis & variis limitationibus, sed ipsis Iuris Authorum sententiis certísque principiis tradebat & demonstrabat. cujus prudens de rebus nonnullis judicium intelleximus, túm re præsentem favorem sensimus. Heidelbergam demum venimus. quo in loco apud socios qui nobis bene cupiebant, per totam feré hiemem subsedimus. quo tempore hæc duo potissimúm studuit, videlicet ut Theologiæ tum Linguæ Italicæ certam haberet cognitionem. Ad hoc

hoc primum exigebat Dispositionem quandam Locorum Communium, sive Partitiones Theologicas, mox Shonii tum & Amandi Polani Partitiones administratæ fuere. hujus ita ipsi placuere, & quidé jure, ut, bidui spatio, easdem fideliter sine libro reddiderit. Biblia, tum Calvini Institutiones, veré divinum & æternum opus, amplexus est, diligentissiméque legit. In Novo Testamento, Italicé verso, se exercebat; sic & in Aulico Baltazaris Castilionei. quem virum propter eruditionem & decorum quod passim in libro perspexit, non semel commendabat. Remeandú jam erat in Patriam Belgium. Priusquam tamen hoc iter susciperet, Hanc Quæstionem, Jure nè, án injuriâ C. Cæsar interfectus, tractare statuerat; verúm loci circunstantiam perpendens diligentiús, ab incepto destitit. Heidelbergâ tandem nostrorum operâ in Hollandiam, elapso jam anni spatio ex præfinita animis nostris sententia, salvi revenimus. Iter hoc Venetum, quod totum pedibus emensi fueramus, grauissimum periculosissimúmque fuit. & sané si hujus animum, labores, fortunam, & quod amplius est, in inopia vitæ honestatem intuearis; erit quo magis gloriari possit, quám illi, qui hodie prædandi forté vel lustrandi studio, ambitiosé totum terrarum Orbem circumnavigarunt. Ex Hollandia, postquam se collegisset, in Angliam solus trajecit: qui jam solvens, dixerat; Confecto hoc paucarum septimanarum itinere, jacienda sunt rerum mearum fundamenta: rem Militarem putans. Caussa Britannicæ profectionis duplex: una, ut gentem illam tam vicinam támque nobis conjunctam, fædere bellíque studiis adversus Hispanum, publicæ Libertatis hostem, ita devinctam, ipse oculis suis videret; &, si res admitteret, cele-

berrimam Oxoniensem Academiam oratione salutaret. Altera, ut, si quid earum rerum, propter quas inter mortales magnum certamen est, honesté offerretur, non adeo recusaret. Cúm ad septimanas aliquot in Britannia versatus esset, Londino ad me scripsit litteras, quarum hæc pars precipua habetur: *Noli exspectare in posterum dum scribam. nam primo quoque tempore ad vos, ubi, Deo adjuvante, materiam virtutis habebo, redire constitui: idq. compluribus de caussis. quoties enim video mollitiam temporum nostrorum, toties ingenti ad institutum vitæ meæ persequendum cupiditate exardesco. nihil enim non modò pulcrius, verùm etiam accommodatius reperiri naturæ meæ potest, quam si id, quod & animo mihi semper proposui, & sæpissimé sermone atque adeo Oratione testatus, quám possim celerrimé præstem. nam etiam si hîc omne florentissimæ ætatis meæ tempus consumam, quid tandem aliquando profecturus sim non video. Post aliquammultos, quám huc appuleram, dies profectus sum Oxonium: quâ in civitate vel potiús Academia (vides enim quandam quasi rempublicam Philosophorum) complures dies vixi, non voluntate mea commoratus, sed incredibili quorundam humanitate detentus. habueram enim prælectionem orationis in modum ex C. Cæsaris Comment. lib. IIII. de bello Gall. in hæc verba: Exiguâ parte æstatis reliquâ, Cæsar, etsi iis in locis, quod omnis Gallia ad Septemtrionem vergit, maturæ sunt hiemes, tamen in Britanniam proficisci contendit, quod omnibus feré Gallicis bellis hostibus nostris inde subministrata auxilia intelligebat.*
Argumentũ orationis non solúm ipsius animo & studio, verùm etiam Britannis longé convenientissimum. nam nactus hîc locum liberé dicendi in Hispanum, omnium gentium Libertatis insidiatorem, Britanniæ veró hostem apertissimum, ita dixit, ut hæc Oratio non longé sententiâ abesset ab ea quam ad Reginã scripsit in CLASSEM XERXIS
HISPA-

HISPANI. In hac caussæ factique Cæsaris & Hispani instituta comparatio. ita in illa, post alias caussas, legitur: *Verùm excitat te quantum conjectura augurari possum C. Cæsaris factum illius, Qui cùm Bello Gallico Belgis submministrata á Britannis auxilia intellexisset, infestis derepente signis trajecit; Insulā invasit; direptam miserè atq. afflictā ad arbitrium suum penè totam revocavit. Præclarum facinus, ut pleraque omnia Romanorum: quos non vis, non injuria hostium, non pax, non societas violata; sed Ambitio, sed Avaritia, sed immoderata regnandi Cupido ad arma stimularet. Hic igitur te, ut opinor, Cæsar majori Cupiditate dominandi incensum, eamdem occasionem eosdemque hostes nactum ad simile factum provocavit. Sed quid hæc ego? Quasi verò non S. Fœdus; non Religio Romana, non venerandus Pontifex ille tuus isto te dicto, quo Cuncta tibi Hæreticorum Regna donavit, satis adversus inimicam Romanæ servituti Britanniam armaret. Quamquam ego quidem interpretari non queo, utrum magis, ut acerrimus Christianæ Religionis hostis, Regionem sibi adversam delere, an, ut Petri Piscatoris imitator, propter abundantem illius Insulæ piscationem recuperare cōtendat.* Iterū alio in loco: *Si C. Cæsar semel atque iterū, ex eodē Itio portu, transmissione factâ, asperrimā jam tū belli studio Insulā felicissimé, ut ille fere omnia, devicit; quid erat caussæ, cùm illius factū imitaretur Philippus, cur non ejusdē sibi fatū speraret?* In illa Cęsaris verba magnâ in frequentiâ Oxonii dixit; adeo ut antiquiores illi, qui longo tempore in Academia desederant, auditorū multitudinē mirati fuerint. nam argumentū Orationis valdè novum his verbis, si rectè memini, publicé affixum: *De Caussis Iulii Cæsaris transferendi Belli in Britanniā dicturus est Guillelmus Verheiden Belga.* Humanissimé á præcipui nominis viris hic fuit exceptus, quorum amicitiâ diutius quám putarat detinebatur. Instabant nonnulli ut aliud quippiam publicè

proponeret. verúm impetrare non potuerunt. quia hoc sibi in Angliam proficiscens præfinitum habebat, ut unam tantúm Orationem sibi studiisque futuris respondentem haberet. judicavit, ut ex ore ipsius percepi, Præter decorum esse, hominem militaris animi in umbrá & scholis plura verba facere. Londinum tandem revertitur. Occasionem sibi dari optat alloquendi Reginam. oportuna sané oblata occasio est. siquidem Londini erat minoris alicujus Principis Legatus, cujus hic nomine Reginam alloquitur, Latiné exponens ea quæ á Legato acceperat. Legatus quod sibi impositum fuerat, hoc facilé ex sententia sua consequitur. Prospera Legati expeditio: qui agnoscens fidã præsentémque huius in exponenda Principis sui sententia operam, liberalitatis minimé oblitus est. verum hic accipere recusavit quod oblatum erat sæpius: ut is qui donando magis quám accipiendo nomen sibi comparare studebat. Insulam relinquens in vicinam Zelandiam pervenit: ex hac ad proximam civitatem Bergopzomium, in qua statuerat rerum suarum uti dixerat, jacere fundamenta. Iter hoc Britannicum magni nobis constitit. profusior semper fuit quám sinebant facultates. Bergopzomium duplici de caussa sibi hic Tyro, tamquam optimam rei militaris scholam, elegit: primúm quia civitas hæc exposita Brabantiæ est, cásque regiones respicit, in quibus hostis vires inter se conjunctas habet. ita ut húnc locum eum esse in quo sæpe cum hoste manus essent conserendæ judicaverit: Deinde hac in civitate popularis noster agebat Gerlacus Pyrlingius, qui sæpius in patria consulatum gesserat, vir rerum experientiâ & dexteritate insignis: qui mirum in modum hujus ingenio & litterarum studiis delectabatur.

Apud

Apud hunc ut gratissimus hospes divertit. mox animum suum indicat. Obstupefactus Pyrlingius, hanc ejus sententiã omni conatu studet evertere: sed frustra. nec meum, nec aliorum studium, ante hoc etiam tempus, quicquam valuit. Indies magis animus bellŏ æstuabat. Deliberat jã, Eques ne, an pedes primúm Martem salutaret. Pedes hic voluit. existimans, Coporis animíque virtutem in pedite magis elucere posse quám in equite: utens hac in re pluribus argumentis. Verúm aliorum sententiæ acquiescens, eques primúm militiæ nomen dedit; honestoque apud Præfectum Equitum loco, quo dignus erat Romanus hic Tyro, est habitus. Anno jam sequenti Vexillarius Peditum creatur. Res hîc admodum nova ad aures meas de ipso perlata est, quæ graviter animum meum concussit; videlicet; Ipsum poculis iræque indulgere. Subiratus hîc ego, binis eumdem litteris petens, objurgavi, comminatúsque sum. His ita responsum dedit: *Post discessum abs te meum binas á te litteras accepi eodem exemplo; unas Bergis, alteras Dordraci datas. quæ licet scriptæ essent mei sive admonendi sive reprehẽdendi caussâ, tamen multó gratissimæ fuerunt. propterea quod fraternum erga me amorẽ declárant, & instituto meo accuraté respondent. nam & optas tu, & ego quám maximé laboro ut aliquando non sine honore vixisse videamur. id quod video posse perfici, videlicet si non modó fortitudinem in bello, verúm etiã omni tempore, omnibus in rebus, erga omnes æquitatem temperantiámque colamus. Quapropter operam navabo & omne genus vitii etiã levissimi, atque adeo suspitionẽ cavebo. nã, ut tu verissimé scribis, quod in alijs peccatũ perobscuré cerni potest, id in me clarissimé conspicitur. Quod superest: id mihi unicé propositũ,*

———

Cura ut valeas. In præsidio, quarto Iun. M. D. XCIV. Post illud.

illud tempus ſibi magis temperavit: tum ipſe ſæpius inquiſivi, paucis anté menſibus, pro Patria poſtquam vixiſſet, Num virtuti munerique ſuo iſto vitæ genere ullo modo obfuiſſet? reſponſum, ſanctéque affirmatum, non obfuiſſe. Cúm nunc noſtri Grollas obſiderent, paullo póſt Noviomagium venit, ſecundo flumine cum cohorte in Zelandiam remeans: qua in urbe paucis tantúm horis apud me fuit. poſt quod paucarũ horarum tempus ego ipſum non vidi ampliús. Hujus tum temporis dicta atque facta hæc notavi. Cúm corpus parum curaſſet, itinerique accinctus eſſet, ad Bibliothecam meam ſe proripiebat, nonnullos authores ſuos oculis recognoſcens, nonnullos etiam á me exigens. Forté Orationem ſuam ad Reginam ſibi expoſitã corripuit: quam aperiens, incidit in hunc locum in quo de Natura & ſtudio Hiſpanorum agitur. quem paullo altiús ex Oratione ut repetã, res me monet, & Lectoris, ut ſcio, animus. Ita in loco in quo de Hiſpani potentia & Natura: *Verumtamen dicas, Incerta, fluxa, caduca eſſe omnia; Non fore diuturnã poſſeſſionem, in quam vi ſe ferróque induxerit. certé cúm enim omnes omnino homines naturâ Libertatis amantes ſunt, tum illi tolerare Servitutem difficillimé poſſunt, qui dulcedinem deguſtare Libertatis potuerunt. Itaque ſæpiſſimé Pæni, nonnunquam Græci, frequenter Galli, maximé vero Hiſpani (vellem hoc odium Servitutis omnibus ineſſe nobis putarent) grauiſſima cum populo Romano & periculoſiſſima bella renovarunt. Ergo id accidit Romanis, Hiſpanis non continget? nec contigit nec etiam dum contingit. An igitur prudentiores, an fortiores Romanis Hiſpani? Id veró non auſim confiteri ſed Ne malé parta malé dilabantur, minus benignos, avariores ſe præbent. & quod diffiteri nemo poteſt* (in hæc quæ ſequuntur inciderat) *Hiſpani ut ambitioſi naturâ ſunt & avari,*

ita

ita plerumque impigerrimi habentur: In consilio prudentes; in negotio celeres; contemnentes periculi, patientes laboris; in victoria superbi, in calamitate pertinaces: secundam fortunam magis sperant quám metuunt adversam: majori sibi molestiæ desidiosum otium esse, quám negotium laboriosum putant: nunquam nec ipsi quiescunt, nec aliis quietem concedunt. eo denique ingenio sunt, ut imperium vehementer acquirant; acquisitum, quoquo modo possint, defendant. Hæc cum de Hispani Natura & Studio legisset, dixit: *Ita profectò se res habet: Vtinam hi, quorum res agitur* (Orbis Principes intelligens) *hæc considerarent.* Interrogatus á me, Num hanc Orationem ante sexennium anno ætatis suæ x x. editam, hodie verbis sententiísque edere posset emendatiorem? Respondit *Editionis se nunquam pœnituisse; verùm si jam edenda esset, ut fortè omnibus antea, sic jam maximé viris placeret.* Discessimus, atque ad fluminis ripam descendimus. Rogavi hic, An ne Militiæ tædium aliquod ipsum caperet? Sané aliquod, dixit, Si locus altior vel imperium aliud mihi non assignaretur. In Litteris facilior hujus adscensus quám hîc in bello fuerat. In illis ingenio & labore ad summa pervenerat: in bello autem, licet animo scientiaque valeret, parum ingenium & labor proficere poterant. quippe auctoritas & imperium deerat, cui tam optimus quám pessimus cedere & parére tenetur. Et jam, annos duos erat Signifer is qui altiori gradu dignus á bonis judicatus fuerat, Hoc in munere, invidiâ etiam quorundam superiorum & ignavorum, cum laude se gessit, militibúsque multis de caussis gratissimus fuit. Huic in ripa stanti suósque in flumine observanti, non frustra cavere visus sum. consului enim ut animum in milites suos ita benignum temperaret. illâ ratione sæpe contigisse, ut is qui militibus ita esset gra-

tus, tandem Superiori esset ingratus & odiosus. Hæc verba subridens excepit, nec quidquam respondit. Profectó hic subridentis habitus, hoc silentium altiús quidem, quám quis putasset, animo meo inhærebat & jam nunc inhæret. Venit demum in Zelandiam, isque jam habitus qui loco Ducis sive Loci tenens, ut vocant, esset: quo in munere nescio qua fallaci spe & malâ arte avari ignavíque cujusdam detineri videbatur: secus, uti ego sentio (modó favor virtuti accessisset) ad imperium aliquod longé anté pervenisset. Iam cúm Hispanus hostis se ad obsidendum Caletum, ad fauces maris Britannici situm, callidé accingeret; ipse urbē versus cum aliis signis contendit: verúm nostri, qui subsidiarii essent, portis fuere prohibiti. Tandem Hulstum, Flandriæ oppidum Zelandiæ vicinum, tenuit. Capto, præter exspectationem usitato & quasi fatali strategemate, Caleto, hostis castra Hulstum versus movet: cujus agrum priusquam invadere poterat, cogebatur superare canalē, qui maris æstu, pro naturâ loci laté vicina loca inundabat. Erant in agro hoc excitata quædam propugnacula, ad quæ, ex more sub vesperum, custodiæ caussâ, duo signa Hulsto progrediebantur: quibus præceptum ab imperatore, ut, si hostis canalem transire agrúmque invadere tentaret, eumdem omni studio rejicerent. Hic cúm paullo anté arcu, animi caussâ, cum sociis certasset, & suos, ut alter, signo dato, ad vicina Hulsto propugnacula eduxit; eóque, quæ ex officio debebat, procuravit. Sole jam occidente, crati vimineæ sive militari sub aperto cælo incumbens, parum quiescere statuerat. Verúm undecimam inter & duodecimam noctis horam ad levissimum strepitum excitatus, accepit hostem velle trajicere canalem. Hic

cum

cum Duce suo militibusque plurimis ex propugnaculo, á magna Rapa nomen habenti, ad alterum á parva Rapa dictum devenit. Hoc in loco Dux ipsi aliquot, non ita multos, bombardarios sive ferentarios adjunxit, jussitque ut in hosté pugnaret: se veró (qui cum multitudine armata sub parva Rapa ad aggeré stabat) ipsi subsidio fore. Ecce, Guilielmus, quo nemo ad pugnam in hostem promtior, ad limum, qué canalis volverat, & in quo hostes omnibus armis & conatú oppugnandi opprimendíque fuissent, convolat. Limus hic, æstu já maris reciproco, longius aliquod agri spatium complectitur: deinde profundus, & armato homini hunc calcanti permolestus est. Hoc in limo (loco ad hostem coërcendum opportuno) noster in hostem denso & conglobato agmine procedentem irruens, armis obruitur: vitámque lento hoc in pulvere ponens, quo & obrutus, PRO PATRIA fortissimé mortem, illo in loco, primus omnium & solus, oppetiit. ceteri, ex quibus nonnulli vulnerati, ad suos postea pervenere. Hæc sub horam noctis XII. contigere: quo tempore jam aderant Kalendæ illæ quæ á Iulio Cæsare dictæ. cujus Commentarios jam mortuus etiá peries se habuit. Hostes, qui numero circiter ducenti, egregii & electi, duplici confertóq agmine progredientes, altissimos clamores tollunt: tympana, quæ plurima erant, pulsant: aridum jam obtinentes, nostros ad aggeré in subsidiis scilicet stantes, ad munitiora loca fugant: parvámq. Rapam, aut metu, aut imprudentiâ, quæ metus vulgó comes est, desertá nullo labore inuadunt. Procedéte nunc aurorâ, aliquo numero ex oppido nostri ruunt: manus cũ hoste conserte: acriter fuit dimicatũ: utrinque multi interfecti, capti desideratique fuere. sed hostes, qui jam

numero, tum, ut videbatur, necessitate, fortè etiam animis, superiores exstiterunt, seséque ad Mourscansii expugnationem omnibus viribus converterunt.

Hic est finis vitæ GUILLELMI VERHEIDEN: qui pro PATRIA (cui se etiam puer dicavit, adolescens publicè devouit, & sacramento demũ obstrinxit) & objectus & objiciens se hostibus, magno animo occubuit; annos cùm vixisset XXVII. Luget & laudat hunc Patria, viri boni omnes qui noverunt, tum qui famâ aliquid de ipsius virtute & animo acceperunt: excepto uno Lepore Galeato, qui huic Thymoleonti jã mortuo insultare non erubuit: qui, licet, non dico semel, sed sæpius fugisset, non tamen postremó pugnavit. Fateor tamen hujus, cujus vitam descripsimus, virtutibus quædam vitia fuisse adversa: verùm inter hæc sunt quæ apud quosdam laudi magis quàm dedecori vertentur. Cùm in omnibus satis esset facilis, iracundior tamen visus quotiescunque videret qui ignaviæ vitio præclaré agendi occasionem non curarent: aut in id non incumberent, quo se virtute ante alios aliquando extollerent; per superbiam interea omnem ætatem agentes. Hæc ira licet proficiscatur ab alto & ad virtutem erecto animo; tamen contentionis & discriminis non levis huic interdum caussa fuit. Inter eos & versari compertus, cúm Tyro esset, qui plus potus, quám natura desiderat, absumebant. sed admonitus reprehensusque, ut supra scripsimus, se temperavit. Plus virtuti suæ tribuebat quám tempora admittebant. ut alienus ab omni adulatione, sic nec unius alicujus favorẽ captabat. existimabat virtutem aliquando suam non ab uno sed ab omnibus esse promovendam. Honestas in eo nimia, tum etiam liberalitas, qua rebus

ſuis parum proſpexit. accepta ſiquidem expenſis non conveniebant: qua ratione factum ut in æs alienum incurrerit. grave quidem hoc, ſi præſentem ejus fortunam, exilium, patriæ res everſas; leve, ſi veterē fortunæ ſtatum, promiſſa magnifica, virtutem, magnum liberalémque animum reſpicimus. Pro hoc tamen, quantumcunque ſit, licet moleſtum, nos cauimus. Is hic fuit qui non habendi ſtudio, ſed dandi, virtutem exſerendi, patriam propugnandi animo ad bellum profectus fuerat Hunc ejus animum bellica laude ardentem nonnulli ipſi bene volentes non ita ferebant. erant inter hos qui magis ipſum bonum concionatorem quám imperatorem deſiderarent: erant qui togatum magis quám ſagatum, legatum quám, (ut ita dicam) paludatum aliquando expeterent. hinc optatum fuit ut iis ſe viris adjungeret, qui Legationis dignitate clari eſſent, quorum dicta, facta moréſque obſervaret. Hoc, ut arbitror, munere, ſuo tempore, utilem egregiamque operam præſtitiſſet, magnuſque evaſiſſet. nam ut in Oratore, ſic & in Reipubl. aut Principis Legato, corporis & animi eximiæ dotes requiruntur. fit enim ſæpe, ut ex Legati perſona Gens Regioque tota á qua mittitur apud exteros æſtimetur. Corpus, animus, eruditio, eloquentia, oris dignitas, vox, memoria, magnanimitas, fides, integritas & continentia inſignis erat. Hi, in quibus hæc ſunt omnia, perpauci inveniuntur. Sæpe ille de Legati perſona & officio differebat: Summum quiddam eſſe Reipubl. aut Regis Legatum agere. ſed Legato & Togato Patriæ Militem præponebat: qui ſi ad imperium aliud evectus fuiſſet, non dubito quin animi virtutiſque vires admirabiles magnâ laude & fructu oſtendiſſet.

Iam his ut finem tandem imponam, SENTENTIAS ET forsan APOPHTHEGMATA quædam, ab ipso prolata, addere expedit: ex quibus natura, animus, judiciúmque ipsius etiã erit manifestum. Interrogatus, quodnam studium omniũ esset præstantissimum? *Illud quo prodesse possumus quam plurimis*, respondit. rem Militarem putans. Quod studiũ gravissimum? *Eloquentiæ* dixit. multa animi corporisque dona exigit hoc studium. Quid omnium jucundissimum? *Liberis hominibus juxta Leges imperare.* DEO nos proximé similes esse *Vera loquendo, aliisque donando.* Cúm ab amicis intelligeret se Invidos habere; dicere solebat: *Virtuti qui non confidit suæ, invidet alienæ.* Cúm essent alicujus notæ qui intemperanter de ipso loquentes, libenter ad jurgia eumdem provocassent; ait: *Nullum ego inimicum agnosco præter unum Hispanum: huic quàm verus sim adversarius, ipsa tandem ostendet mors.* Homines ignavos & magnificé scribentes cúm abjecti sordidique animi esse conspiceret; *Cistas Æsopicas, Ranas* nominavit: quarum rauca vocalisque vox sive coaxatio ignaris facilé persuadet, vastum quoddã illo in loco latere animal: cúm sit minimum & vilissimum. Cúm aliquem favore alterius non virtute sua magnum videret; eumdem dixit habere *Vesicam*. nam qui per se natare non possunt, vesicis utuntur, quæ inflatæ vento ignarum ignavúmque sustinent natatorem. Cúm á magnis viris aliquid geri præter honestatem notaret; HOC ROMANVM NON EST, inquit. Cum amicum alicujus fortunis invidere audiret; *Habeat*, inquit, *& ille suum solatium.* intelligens veram felicitatem in Virtute rectáq. Conscientia sitam esse. vbi superbas civitates, structurarum moles operúmq. labores aspiceret; pronunciare solitus est Sallustii sententiam: QVÆ *homines arant,*

navigant

navigant ædificant, VIRTVTI *omnia parent.* Paupertatem, Virtuti aliquando obstantem, *Truncum* appellavit: quo alta petens alata illa Virtus humi sæpe detinetur. Cúm cerneret domos nonnullorum instructas, tum quisse supellectile minimé necessaria jactarent; dixerat: *Quam multis ego opus non habeo?* Interrogatus quæ vita laboriosissima morsque optatissima? *Honesta.* Quod in Milite maximum judicaret esse peccatum? *Duci non obedire.* Milites, tam eos qui justam causam non intelligerent, quám qui contra justitiã bellarent, *Homicidas* esse judicavit. Amici cúm dicerent, Vitam Militarem multis periculis esse expositam; ait: *Quod necesse est evenire Cæsari, eveniet.* quod Christiano animo usurpans, Omnia Fato regi, oriri occidereque sensit. Omnes cúm ferret, *Ignavos* non tulit. Cúm aliqui ipsius orationes laudarent; *Præclarum est,* inquit, *recté scribere; præclarius, recté dicere: sed omnium præclarissimum, recté agere. omnis Virtutis laus,* uti sæpius, *in actione consistit.* Quam virtutẽ erga homines, quam erga Deũ primã duceret? Vt erga homines *Animi magnitudinem,* sic erga Deũ, *Animi abjectionem* sive *Humilitatẽ* esse prędicabat. Quæ mors optatissima? *Pro* PATRIA *quæ oppetitur.*

Hæc tibi, mi Frater, contigit: qui licet in tenebris cecideris; Virtus tamen tua lucem tibi attulit, eos obscuros ignobilésque reddens, qui in ignavia, fuga, divitiis voluptatibusque salutem posuere. Tibi vero nunc hoc sit positum.

EPITA-

EPITAPHIVM.

Iudicio Antiquorum Cenſorum:

GUILLELMO VERHEIDEN

GRAVIENSI,

ANIMO ET CORPORE,
LITERIS ET ARMIS
INSIGNI:

Qui cùm,

Quid eſſet { PATRIA / LIBERTAS / HISPANUS } *intellexiſſet;*

PRO PATRIA
ANIMOSE PUGNANS
VIXIT.

A

GVILLELMI VERHEIDEN BELGÆ DE ORTV ET OCCASV MAXIMORVM IMPERIORVM ORATIO VENETA.

SALLVST.

Quæ homines Arant, Nauigant, Ædificant, VIRTVTI omnia parent.

AD LITTERARUM ET PATRIÆ LIBERTATIS STUDIOSUM LECTOREM IAC. VERHEIDEN.

ORATIONEM, quam boni nonnulli & fortes Patriæ cives expetiverunt, hîc tibi, Lector, exhibemus: quæ non tam eruditionis & ingenii, quám magni ipsius animi est index. constituerat enim in Itinere Omnia promté ex se petere, & quasi ex tempore, ut ita dicam, agere. Ex tempore & citra laborem hæc composita Oratio est; sed non sine labore & periculo, ut observavimus, habita. In Peregrinatione honesto exercitii genere se non solúm recreare, sed etiam Animi sui magnitudinem alere, pectus firmare, ex obliquo Hispanum petere, videri ab aliis magis quám videre alios voluit. Argumentum Orationis nobilissimum; urbis nobilitati & Imperio respondens. In aliis, quibusdam, quæ penes me sunt, orationibus doctrina major & ingenium: in hac veró Animus & Virtus. Paucis; ab eo profecta Oratio est, qui omnem Virtutis laudem in Actione consistere est arbitratus: Tum illam mortem felicissimam, quæ pro Patria oppetitur. Rationem cognominis Campani suprá reddidimus. Disputatio veró ipsius de SICILIA sive de CUPIDITATE DOMINANDI, de qua suprá paucis diximus, & quæ duobus comprehensa libris fuisset, ipso jam mortuo, etiam intermortua & quasi exstincta habetur. Hominis itaque Patriæ amantis & litterati, ut superior placuit, sic nec hęc tibi, docte patriæque amans Lector, displicebit Oratio.

GVILLELMI CAMPANI BELGÆ

DE

ORTV ET OCCASV MAXIMORVM IMPERIORVM

ORATIO.

PRÆCLAROS *& egregios animorum motus non sine manifesta vi numinis diuini in mentibus hominum excitari, cúm aliás semper existimavi, tum etiam, hac tempestate, ipse sum expertus. quippe mihi, homini sané peradolescenti, posteaquam, non dico pulcerrimam civitatis amplissimæ formam ex ornatissimis gravissimorum hominum scriptis, animo comprehendissem, sed opinionem modo virtutis, dignitatem imperii, magnificentiam urbis prædicari audivissem; nihil potius fuit, quám ut eam rempublicam, qua de, absens, præclara multa intellexissem, coram, ipse præsens, oculis usurparem. Quo circa cúm per varios casus, per plurimas itinerum aliarúmque rerum difficultates, eó tandem aliquando, quo statim ab ineunte adolescentia animus cogitabat, Deo adiuvante, perveni: non potui profectó præterire, quin aliquo, fortasse non prorsus indigno florentissimæ reipublicæ gravitate argumento, judicium animi mei erga magnanimos præstantésque viros, pro virili mea, declararem. Quam ad rem aggredi, credite mihi, nunquam ausus fuissem, cúm vel nomen ipsum* VENETIARVM, *id est, theatri orbis terrarum, vel amplissimorum virorum prudentiam, vel etiam doctissimorum hominum eruditionē atque sapientiam mecum ipse considerassem, nisi hæc una me, quæ sola potest, sustentaret consolatio. Nam mihi quidem ita persuasum est, Plerosque omnes eminenti fortunâ viros quantó ad altiorem dignitatis*

nitatis

nitatis gradum virtute suâ peruenerunt, tantò faciliores esse & moderatiores solere: & excellenti doctrinâ expolitos quantum humanitati litterarum operæ laborísque dederunt, tantum reliquis præstare omnibus & audiendi & judicandi æquitate. Iam verò dicere de Ortu & Occasu maximorum Imperiorum, rem esse dignam auribus optimorum confiterer, siquidem eum esse me sentirem, qui rem tantam pro magnitudine suâ (tametsi quis id sperare ausit?) explicare satis grauiter ornatéque possem. Veruntamen quid est tandem in ipsa, quæ latißimé patet, rerum humanarum natura, quo de legere, audire, loqui debemus libentiùs, quàm id quod & humanorum operum multò maximorum putatur, & quàm proximè naturam attingit divinam, de MODO IMPERANDI? *Qua de re, cùm quanta maxima possum brevitate, dicere decrevi; memor temporis, memor personarum. vos* N. N. *etiam atque etiam vehementer orarem, vti me benignè & attentè audiretis, nisi animos vestros sua sponte erectos viderem. Non me fugit fuisse nonnullos qui causas Imperiorum constituendorum explicare conati, nescio quas nobis artes inusitatas, novas, inauditas, & non modò à pietate, regulâ cogitationum omnium & actionum nostrarum, verùm etiā ab omni justitia atque honestate abhorrentes, attulerunt: quare & existimationi suæ vehementer obfuisse, neque honestè consuluisse utilitati generis humani videntur, dum ingenii subtilitate præfidentes, nova & abstrusa investigare, quàm judicii gravitate vetera & usitata ponderare maluerunt. Quis enim tam nihil intelligens, tam alienus ab omni cognitione causarum, qui illud ignoret, esse duas omnino res, quibus vel unis omnes Imperiorum omnium & ortus & processus jure referamus acceptos? unam, Dei immortalis hanc machinam rerum vniuersam, arbitratu suo moderantis Voluntatem: alteram, præstantißimorum Heroüm singularem quandam & excellentem Virtutem. quarum alteram licet ab altera nullo pacto separes, aliqua tamen ratione rectè distinguas. Atque hæc sunt illa principia,*

hæc fundamenta, hæ quasi geminæ columnæ quibus nixa semper est omnis Imperiorum magnitudo. itaque, vide mihi, non modo hos, qui præcepta pietatis pernoverunt rerum scriptores, verum etiam illos, quos ab omni fide fuisse alienos, nemo quisquam ignorat: quid volunt? quo te vocant? cui principia maximorum & eventus Imperiorum adscribunt; nisi Favori diuino? nisi præstantium virorum Virtuti? Quid illi Græcorum longè principes Herodotus atque Thucydides? quorum alter antiquitate venerabilis, alter prudentiâ singularis. quid illi, quasi antesignani Latinorum, disertißimus rerum explicator T. Liuius, severus C. Sallustius, prudens & attentus scriptor Cor. Tacitus? quid alii innumerabiles? nonne ad unum omnes incrementa Imperiorum ad DEVM *optimum Max. autorem? ad egregios suæ ciuitatis viros retulerunt? Nam quæ res á non nemine nimis frequenter jactari solet; Fortunam esse reginam omnium dominamq. rerum humanarum; fortunã cuncta magis ex libidine sua, quam ex æquo gubernare; fortunã imperia, regna & alia talia, quæ mortales admirari solent, dono dare: certé summæ levitatis est, si dicas; si credas, nequißimæ improbitatis. perinde, quasi non modo dux sapientium Ratio, verùm etiam ipse stultorum magister eventus non satis docuisset, Fabrũ esse suæ quemque fortunæ: Fortunam á virtute, non á fortuna pendere virtutem. Quod si cui artes eas, in quibus plurimum inesse adjumenti sentimus ad res magnas bené gerendas, vel eripere vel donare poßit; concedã, sané libens vim illius non plané contemnendam videri: sin minus, quid est tandem, quin fragilem hanc & imbecillam, quam stulté appellant Deam, varium dumtaxat & inane nomen, vel ab infidelitate impiorum, vel ab stultorum imprudentia profectum, arbitremur? Num igitur cui fortuna bonam mentem, æquitatem, animum excelsum & invictum, temperantiam ceteráſque virtutes aut umquam donavit? aut donatas ademit? aut restituit ademtas? profecto nulli. Est est igitur divina & sempiterna Mens, cui sol ille quem videmus,*

ſiderum curſus cælorúmque motus, & rerum viciſſitudines parent: ea res omneis nutu ſuo gubernat; ea & ſtabilire imperia & commovere ſolet. Etenim ſi divina vis atque Poteſtas nuſquam præclarius elucet, quám ibi, ubi nihil poteſt humano conſilio adminiſtrari; repete mecum animo Initia & Exitus ampliſſimorum Imperiorum: tum denique intelliges, Potentiſſima Imperia, niſi divini numinis voluntate, neque conſtitui, neque everti vllo modo poſſe. Quis Aſſyrijs eam mentem iniecit, vt imperium totius fere Aſiæ affectarent? divina Voluntas: quis gentem Perſarum incultam, ad tantum imperii faſtigium evexit? divina uoluntas: quis ignobiles, & in extremis Græciæ angulis latentes Macedonas adverſus Aſiam concitavit? diuina Voluntas. quis denique populo Romano univerſi terrarum orbis imperium aſſignauit? nónne eadem illa divina Voluntas? Ita profectò. nam Deus immortalis, quo iuſtitiam ejus agnoſcant probi, potentiam improbi perhorreſcant, excitat iacentes, erigit afflictos; affligit ſuperbos, ambitioſé & avaré imperantes, de dignitate omni deturbat. Quid enim putas eſſe cauſæ, cur arbores maximé proceras? cur montes turréſque editiſſimas fulminum iactu ventorumque violentia proſterni? humilia veró atque depreſſa, tuta permanere ſentiamus? an quod ſummus ille cælorum terrarumque Imperator diligere modeſtos, odiſſe ſuperbos, potentes attenuare, infirmos adjuvare conſueuit? Quid ergo? inquis, Anne & eos, qui ambitione & avaritia, peſſimis conſultoribus, incitati, per fas atque nefas dominatum obtinuerunt, ſæpé maximo videmus imperio floruiſſe? nemo negat. verum iſtius rei hæc cauſa eſt: ſolet enim Deus, quó gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro ſcelere eorum ulciſci velit, his ſecundiores interdum res & diuturniorem impunitatẽ concedere. vt enim turpioris criminis reos, quo vehementius ad terram adfligantur, altius miniſter rerum capitalium attollit: ita Deus immortalis differt aliquando vindictam, non culpam maleficii condonat; ut improbos non á ſupplicio ſervare, ſed ad graviorem caſum reſerva-

ſerva-

servare velle videatur. O vanas imperii proferendi cogitationes! infelicem & calamitosam ambitionem! O miseram sed justam maximorum sæpe regum fortunam! qui, priusquam labi se sentirent, summo rege DEO *sic volente, de regno toto deciderunt. Quamobrem, sit hoc positum imprimis, quod & boni confitentur omnes, nec improbi si velint, reclamante animi conscientiâ, inficiari audent; nempe, Principem Imperiorum causam consistere in unius, qui res omnes ex nihilo condidit, conditas moderatur Omnipotentis Dei Voluntate. Iam vero dubitare quis potest, quin proximé secundum divini numinis voluntatem, Imperia vel excellentium virorum Virtute firmentur, vel evertantur vitio perditorum. Adfer enim quas velis causas, inquire omnia: occultissima quæque perscrutare: nunquam, siquidem integrum de rebus judicium ferre velis, aliter reperies, nisi fortunam Imperii respondisse Moderatorum Virtuti: Semper & Regnum á minus idoneo ad optimum quemque translatum, & felicitatem Imperii unà cum moribus immutatam fuisse. Quid enim si mundus ille ab ipso Deo admirabili ordine, summâ curâ, singulari providentiâ gubernatur, an tu Imperium conservari ab homine posse sine summa virtute putas? nam si arbitraris nova quædam artificia, insidiosa consilia ad principatum obtinendum, vim quamdam incredibilem possidere, vehementer erras.* OMNES *alienos á Virtute conatus, si recte ratiocinari velis, videbis vel ad exitum non pervenisse; vel autori suo cladem attulisse insignem.* QVEM *enim ad modum telas aranearum muscam irretire, ab hirundine rumpi cernis: Ita* CALLIDAS IMPROBORVM ARTES *pauci imbelles & incauti timent; prudentes & magnanimi sané facile conterunt atque contemnunt. Quid multa? & Mare quod navigamus, & Terra quam excolimus, & ea quæ Ædificamus omnia, uni serviunt & parent Virtuti. Veniant tibi in mentem Assyrii atque Persæ; memineris Macedonum, recordare Romanorum: ecqua tandem re nisi Virorum excellentium Virtute vicerunt? Si quidem Ninum illum Assyriorum Regem (tametsi hoc uno vehemen-*

ter

ter sit accusandus, Quòd primus omnium bella ex bellis serere, Libidinem regnandi bellandi caussam habere, In maximo imperio maximam putare gloriam, consuevit) nonne cùm prudentia tum etiam fortitudine præstitisse antiquissimorum pariter atque sapientissimorũ monimenta memoriæ prodiderunt? At Semiramidē quanto ingenio, quanta virtute præditam fuisse existimandum est? cui cùm robur corporis natura negavisset, quantum animo virili mulier effecit! qua fuit usa solertia! quantos pertulit labores! quot victoriis atque triumphis Imperium honestavit! auxit! illustravit! Sed reliquos deinceps consecutos reges summâ diligentiâ imperium retinuisse, quid magis declarat quàm calamitosus ille nequissimi inter mulierculas exitus Sardanapali? qui simul atque animam oneri, corpus voluptati haberet, malletque fœdissimis voluptatibus turpiter servire quàm opulentissimis populis gloriosè imperare; & se, & Imperium præcipitavit. Ita res Assyriorum, parta plurimorum virtute, unius scelerati hominis secordia est miserrimè dilapsa. An verò Cyrum Persarum regem eum, qui primus Orientis subacti dominatum posteris reliquit, ullius ferè virtutis expertem fuisse credimus? certè hunc ego, si mei arbitrii res esset, præterquam virtutibus imperatoriis, etiam omni propemodum boni viri laude cumulatum dicere auderem. Et verò an ille rudes etiam tunc & feros quodammodo Persas disciplinâ militari erudire? an exercitum diversissimarum & vivendi & loquendi modo nationum gubernare? an ille tot, tantos, tam opulentos Orientis populos devincere? an in officio continere sine maxima virtute potuisset? nullo modo. cùm enim ad unum homines naturâ libertati student, tum verò potissimùm illi qui diutissimè liberi vixerunt. sed erat in illo mansuetudo, liberalitas, clementia tanta, uti non modò multitudo, plerumque ad serviendum parata, verum etiam ipsi ad imperandum nati reges non minus ejus humanitatem victi diligerent, quàm armati vim virtutemque timuissent. En tibi Persarum imperator; en tibi princeps Imperii Cyrus: cuius in Regno stabiliendo virtutem

si posteri

si posteri in retinendo imitari voluissent; staret etiamnum res Persarum: sed quorum majores non labor, non egestas, non periculum, non locus ullus asper, non armatus hostis à præclarè factis deterrebat; eos desidia, abundantia opum, & teterrima ingeniorum similiter atque corporum pestis subegit, enervavit, fregit voluptas. hinc illæ lacrimæ: hinc ille miserrimus amplissimi quondam & florentissimi Imperii occasus. Quid ego, ego jam de Macedonibus dicam? qui licet maximum imperatorem Alexandrum habuerint, tamen admirabilem etiam in ipso virtutem fuisse quis non videt? appelletur sanè cognomento magnus Alexander: habeatur pro exemplo magnanimitatis: sit omni bellicâ laude illustris; tamen, meâ sententiâ, facilius sine Alexandro miles, quàm sine tali milite Alexander vicisset. Quod enim officium militare enumeres, quo non illi omnes optimè fuerint imbuti? Scientiam rei militaris? at erant veterani; & quidem illi, qui non modo singuli pugnando fortis militis, verùm etiam benè consulendo boni imperatoris officia præstarent. Virtutem? at hostem ferire, præsidia agitare, hiemē & æstatem æquè pati, laborem eodē tempore & inediā tolerare, mortem non metuere, optare modò victoriā; deniq. pericula, difficultates, & ea quæ molles & effeminati morte peius oderunt, epulis iucundiora habere docuerat consuetudo. Et miramur etiā nunc, cur hinc tali militi tot tantæq. regiones, maria, montes, cur asperrima quæque, & immensa Asia, paruerit? Verum ut intelligas cùm ipsâ naturâ, tū etiā culpâ mortalium, nihil in rebus humanis certū ac diuturnū esse; ecce tibi erecti illi aduersus omnes belli terrores animi, parto Imperio, Dario devicto, Imperatore è vivis sublato, colere in pace concordiam non potuerunt: quo ad Imperio fœdissimè dilacerato, dum singuli regnare contenderent, tandem aliquando universi servirent. Reliquum est imperium Romanorum: de quo quàm potero brevissimè dicam in hoc tempore. nam pro magnitudine & gloriâ, tantum abest uti quisquam præclare dicat, nemo unus eorum, qui nihil aliud in vita egerunt, satis graviter se pro dignitate rerum scripsisse arbitratur.

tratur. Et certe sic intelligo, sic iudico, Nullam omnino rempublicam, si omnes unum in locum conferantur, cum Romana, sive prudentiæ, sive iustitiæ, sive fortitudinis, sive temperantiæ exemplis esse ullo modo comparandum. Quid enim tu de septem Regibus Imperii conditoribus, qui infantem quasi populum Romanum nutrierunt, existimas? Ego vero hic perspicio; Eos omnes, non modo nascenti Imperio peropportunos, verùm etiam divino quodam munere donatos fuisse. Quis acrior? quis in armis exercitatior? quis vigilantior Romulo? attamen talem esse oportebat. quo enim modo novum condere Imperium potuisset (nam ita evenire solet vt crescentem opulentiam ferè sequatur invidia) cùm finitimos infestos haberet nisi se suosque egregiâ armorũ disciplinâ imbuisset? Quis contra pacatior? quis mitior Numâ Pompilio? Hic tamẽ, meo iudicio, multũ, atq; haud scio, an plus, vnus quàm ceteri omnes reipublicæ profecit. Ille primus salutaribus urbẽ legibus fundavit; ille violentiã armorum humaniore disciplina mollivit: ille Martios animos religione & cultu deorũ temperavit. Sed quemadmodum populus Romanus iam paci & tranquillitati erat assuetus; sic ad subeundas belli tempestates imparatus fuisset, nisi studiosus bellandi Hostilius resides iam cives, & quasi triumphare desuetos ad arma revocasset. iam vero Ancus Martius omnibus & belli & pacis artibus insignis, nonne perinde quasi futuram populi Romani maiestatem & imminentem Superbi Tyrannidem prævidisset, & urbem auxit & validissimè communivit? Quid Tarquinius Priscus? quamvis origine homo Græcus, tamen ob virtutem Imperio Romano dignus: quàm & ipse acer in ferro fuit? & quàm accurato confusam antè multitudinem ordine distinxit? Et quidem Servium Tullum quantum profuisse arbitraris, cùm censu diligentissimè facto, primus exploraret, quantũ armis virisque, quantũ opibus, quantum ærario Respublica valeret? Nunc verò regnante Superbo, illud tamen boni populus consecutus est, Quod intellexit aliquando nihil dulcius nihil optandũ & vindicandum magis, nihil viro dignius

esse honestâ Libertate. ut omittã libera jam civitate de pulcherrima forma Reipublicæ; de Magistratibus; de Legibus loqui; Senatus ille qualis, quantúsque fuit! quam dignitatem præ se, quantam animi magnitudinem ferebat! ut non sine causa Pyrrhi legatus, Maximorum se Regum consessum, non Senatorum conventum vidisse responderet: nec id mirum. diligebant illi publicam magnificentiam, Parsimoniam privatam. erat apud eos honor non luxuriæ, sed continentiæ; non pecuniæ, sed paupertati. non enim divitiis cum opulentis, ambitione cum potentibus, seditione cum factiosis; sed cum magnanimis virtute, cum prudentibus consilio, cum honestis pudore, cum modestis æquitate certabant. æquitas apud eos naturâ plus quàm lege valebat. nihil gratiæ aut odio, nihil iræ aut misericordiæ dabant: præmia virtuti, improbitati supplicia constituta erant. Militia autem honestatis, continentiæ, fortitudinis, probitatis erat magistra. Non luxum conviviorum, non varietatem voluptatum; sed arma, equos; vexilla hostibus erepta quærebant. hanc propriè laudem Romanorum, hanc summam esse nobilitatem putabant. Observabant disciplinam militiæ: magis imperatoris nutum quam armati hostis faciem timebant: mori in victoria, non in armis capi; victi alacrius cum victore certamen instaurare; victores benevolentiâ victos non metu in officio continere solebant. &, ut uno verbo dicam quod res est, fortia & agere & pati Romanum erat. Quid ego iam Brutos, Cincinnatos, Camillos? quid Torquatos, Decios, Regulos, Corvinos commemorem? quid referam Fabios, Marcellos, Scipiones, Metellos, Catones, quid alios innumerabiles, quorum hodierno die virtutes cum admiratione audimus; nonne horum virtute Romani primum universam Italiam devicerunt? deinde Carthaginem exciderunt? Numantiam, Corinthum everterunt? potentissimos reges, bellicosissimas Africam, Asiam, Europam, universam intra Oceanum terram in ditionem Imperii sui redegerunt? nec enim ingenio Etruscos, multitudine Hispanos, Græcos eruditione, Pœnos calliditate, robore Gallos, opulen-

tia Asianos, sed omnes VNA VIRTVTE *superarunt. Dixi de Ortu imperii Romani: dicere de Occasu, nisi ex illis, quae supra commemoravi, aperta res esset. Sic enim habe, atque hoc tibi persuade: Hoc Imperium tanta virtute tot praestantium virorum stabilitum, everti nullo modo potuisse; nisi omnes nationes convenissent: nisi rationem amentia, firmitatem inconstantia, cupiditatem verae laudis mala ambitio, intemperantia continentiam, superbia clementiam, insolentia modestiam; vitia omnia virtutes omnes superassent. Quamobrem, ut eo redeat unde profecta est oratio, sic habete atque hoc fixum esse immotumq. existimate; Nihil pertinere magis ad Imperii diuturnitatem, quam si principia* DEO *tribuentes, reliqua defendi virtute sola putemus. Etiam si hunc mundum universum, si caelorum orbes, si maria ac terras, si omnem rerum naturam, si hiemis, aestatis, pluviae, siccitatis, omniumque temporum vicissitudines eius unius arbitrio parere sentimus; quid est, quid est tandem quin omnes Imperiorum mutationes, Ortus & Occasus divinae Potentiae obtemperare credamus? An gubernatores civitatum a provinciarum praefectis, praefectos a Regni moderatoribus constitui fatemur; Reges ipsos ab summo Imperatore* DEO *designari non fatemur? quid autem aliud esse Reges existimas, nisi quosdam Dei administros? quid agere, nisi partem divini muneris sustinere? qua de causa constitutos, nisi quemadmodum ille rerum universitatem, sic isti suam quisque partem curarent? parcerent subiectis? malos punirent? superbos debellarent? Quid? quod nulla gens tam fera fuit unquam, tam barbara, quae licet ignara qualis esset, tamen non aliquem sibi Deum fingeret: quem adoraret? cui principium Imperii acceptum referret? Omitto Assyrios, Persas, praetereo Aegyptios, Graecos: non commemoro Romanos, quos omnes autores Imperii Deos credidisse constat. Quid ferocissimi homines Parthi? quid agrestes & Barbari Scythae? nu aliter senserunt? Quin ergo quod Religio pios, Ratio doctos, Experientia omnes edocuit, illud verissimum esse arbitremur,* FVNDARI IMPERIA DIVINO FAVORE, ET HOMINVM VIRTVTE DEFENDI. *cave enim*

has res, quæ arctissimo inter se vinculo colligatæ sunt, ullo modo sejungas. nam fieri non potest, ut aut ea civitas, quam Deus imperio destinavit nō habeat viros præstantes: aut, quæ cives præclaros habet, non secundâ utatur Dei Voluntate. quid ita? quia Deus Opt. Max. cùm vel pro benignitate suâ Rempublicā insigni beneficio perornare, vel eandem pro scelere eius pœna adficere velit; tum vel egregios civitati Viros donare, vel eripere consuevit. Nolite jam expectare dum eos quos modò commemoravi recenseam: quorum Imperia non nisi admirabili præstantissimorum Virorum virtute firmata fuerunt. nónne Carthaginienses, Lacedæmonii, Athenienses, denique omnes, priusquam ad potentiā paullo maiorem adspirarent, eos civitatis principes habuerunt, quos non eorum Republicā ortos, sed de cælo demissos putares? Anne Legumlatores illi, ne quosdam innumerabiles appellem, Solon Athenas, Carthaginem Charondas, Locros Zaleucus, Cretam Minos, Lacedæmonem Lycurgus, omnes legibus sapientissimè ferendis civitates tandiu suas conservarunt quo ad cives eorum legibus obedire voluerunt? Et hic mihi quisquam cæcam, fragilem, imbecillā, (imbecillam autem? imò verò, quæ nec est, nec ulla esse potest) Fortunam, aliásque præter unam Virtutem artes nominabit? Sed quid hæc ego? profectò (si qua res umquam) Hoc illustrissimū amplissimúmque VENETORVM IMPERIVM *divino consilio fundatum, per tot jam secula admirabili prudentiâ, æquitate, concordia, vigilantia conservatum, universo terrarum Orbi patefecit;* IMPERIA *nullâ re aliâ nisi Æterni & Omnipotentis Dei* VOLVNTATE *& heroicâ præcellentium in Republica Virorum* VIRTVTE, *sollertiâ, fortitudine, constantiâ aut constitui, aut gubernari posse.*

Habita VENETIIS, in publico
SAN-MARCI Auditorio.
Anno M.D.XC.IX. Sept.

Ætat. XXI.